

# **De amore et dilectione Dei**

Albertanus Brixensis

## Liber I

Incipit liber de amore et dilectione dei et proximi et aliarum rerum de forma vitae liber primus.

Initium mei tractatus sit in nomine Domine, a quo cuncta bona procedunt, et a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum descendens a patreluminum. Quanto amore quantaque dilectione mea paterna caritas tuam diligat filialem subiectionem, vix tibi possem narrare, vel lingua mea posset aliquatenus explicari.

Volens igitur ego Albertanus te filium meum Vincentium bonis moribus conformare, ac de amore et dilectione Dei et proximi et aliarum rerum et de forma vitae instruere, in primis duo credo tibi fore precipue necessaria: doctrinam videlicet ac loquaciam. Primo enim debes discere, postea veroloqui. Nam ut ait Ihesus filius Sirac, "Ante iuditium para iustitiam, et ante quam loquaris disce." Et Salomon dixit, "Qui prius loquitur quam discat, ad contemptum et irrisio nem properat." Doctrinam ergo primo audias, dein de animo discas, postea vero mente retineas; animo enim vivimus, animo adiscimus, mente vero retinemus.

### [Caput I.]

#### De doctrina.

Doctrinam igitur audire debes, ut habeas scienciam. Nam ut ait Salomon, "Qui diligit doctrinam, diligit scientiam; qui autem odit increpationes insipiens est." Et alibi, "Accipite disciplinam meam, et non pecuniam; doctrinam magis quam aurum elige." Et alibi, "Qui altam facit domum suam querit ruinam, et qui evitat discere incidet in mala." "Doctrina enim bona dabit gratiam." Et alibi, "Cor prudens possidebit scientiam, et auris sapientum querit doctrinam." Et alibi, "Non cesses, fili, audire doctrinam, nec ignore sermones scientie." Et alibi, "Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, et aures tue ad verba scientie." Et Ihesus filius Sirac dixit, "Fili, a iuventutem excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam." Et alibi, "Doctrinam oris audite, fili; et qui custodierit illam non peribit labi sis suis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis." Et aliis sapiens dixit,

Cum sine doctrina nil proficiat medicina,  
Nec sine doctrina fugiat lepus ora canina,  
Nec sine doctrina pupem ferat unda marina,  
Nec sine doctrina panem det trita farina.  
Audi doctrinam, si vis vitare ruinam.

Doctrina vero tua initium habeat, sed te vivente ut mens tua alatur non debet habere finem; mens enim hominis discendo alitur et vivendo at audiendiratione ducitur, finem non debet habere. Ut ait sapiens in lege, "Et sipedem in sepulcro haberem, adhuc discere vellem." Et alibi dicitur, "Discendo non defeceris; idem enim debet esse finis discendi quem et vivendi." Idem et Cato ait,

Instrue preceptis animum, ne discere cessas;  
Nam sine doctrina vita est quasi mortis ymago.  
Et alibi,  
Cum tibi contingit studio cognoscere multa,  
Fac discas multa, vita nescire doceri.  
Et alibi,  
Discere ne cessas, cura sapientia crescit:  
Rara datur longo prudentia temporis usu.  
Et iterum,  
Disce sed a doctis, indoctos ipse doceto:  
Propaganda etenim est rerum doctrina bonarum.  
Nam qui alios docet se ipsum instruit. Inde Martialis dixit,  
Discendi modus enim, dum te nescire videbis;  
Disce, sed assidue; disce, sed ut sapias.  
Sumpta parum, prodest, que mox emittitur esca;  
Bos, quibus est pastus, ruminat hec eadem.

Semper ergo discendum est, quia ut ait Seneca, "Dediscis, si nichil discis." Nec debes cessare acquirere doctrinam vel scientiam propter pudorem. Ut ait quidam philosophus, "Qui brevi tempore pro pudore disciplinam non patitur, omni tempore in pudore insipientie permanebit." Et alius dixit, "Quicumque rubuerit sapientiam investigare ab aliis, magis erubescet eandem a seipso requiri."

Investigare igitur doctrinam debes a peritoribus. Ait enim Cassiodorus, "Semper gratum est de doctrina loqui cum peritoribus. Propter verecundiam ergo non debes cessare a quolibet discere." Ait enim Cato,

Ne pudiat que nescieris te velle doceri:  
Scire aliquid laus est; culpa est nil discere velle.  
Inde Plato dixit, "Malo enim aliena pudenter adiscere, quam mea impudenter ignorare."

[Caput II.]

De locutione et cohibendo spiritu et lingua cohercenda.

Post doctrinam dixi tibi loquela fore necessaria, que loquela sive loquelasive locutio a spiritu procedit. Et per spiritum ad os producitur, atque lingue artificio exercetur. Ad hoc ergo ut locutio tua bona et recta sit utilisque permaneat, in primis debes cohibere spiritum tuum, ne prorumpat ad os tuum, et linguam inducat ad locutionem inutilem. Nam ut ait Salomon in Proverbiis, "Sicut urbs patens et sine murorum ambitu, ita vir qui non potest cohibere spiritum suum."

Secundo debes custodire os tuum, et hostium circumstancie labiis tuis apponere, et ori tuo frenos rectos, et verbis tuis facere stateram. Namut Salomon sit in Proverbiis, "Qui custodit os suum custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala." Et propheta rogavit Dominum dicens: "Appone ori meo custodiam, et hostium circumstantie labiis meis." Et Ihesus filius Syrac dixit, "Si tibi est intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris." Et alibi,

Aurum tuum et argentum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos; et attende ne forte labaris in lingua, et cadasin conspectu insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in morte.

Freno itaque ori tuo inposito, cum a sapiente dicatur, "Mors et vita in manu lingue," et alibi, "Verbosa lingua malitis indicium est," et in proverbiодicatur, "Osse caret lingua, sed frangit dorsa maligna," et a Seneca dicatur, "Cotidiana fornax nostra est lingua," oportet te linguam tuam coartare, cohercere, compescere, atque prout possibile est, dogmare. Nam ut ait Cato,

Virtutem primam puto compescere linguam;

Proximus est ille Deo, qui sit ratione tacere.

Ideo autem dixi "prout possibile est," quia ut ait beatus Iacobus in epistolasua, "Natura bestiarum, et serpentium, ac volucrum, et ceterorum domaturet domita sunt a natura humana. Linguam autem suam nemo domare potest." Sed licet lingua ad plenum dogmari non possit, cohercenda est tamen et coartanda ut sit verax et non mendax. Secundum verbum Domini qui ait, "Sit sermo vester, est, est: non, non: quod amplius est, a malo."

Linguam enim mendacem et seminantem inter fratres discordiam odit Dominus, et detestatur anima eius. Unde Salomon ait, "Sex sunt que odit Dominus, et septimum detestatur anima eius: oculos sublimes, linguam mendacem, cormachinans cogitationes pravas, proferentem mendacium, testem fallacem, pedes veloces ad currendum in malum, et manus veloces ad effundendum sanguinem, et seminantem inter fratres discordias." Et alibi in Ecclesiastico legitur, "Pocior diligendus est fur quam assiduus in mendacio." Et aliud dicit, "Acquiesce veritati sive a te prolate sive tibi oblate." Nam ut ait Cassiodorus, "Pessima consuetudo est desplicere veritatem." Et veritatem intelligo puram, in qua nichil immisceatur falsitatis. Nam ut idem ait, "Bonum est verum, si non aliquid illi immisceatur adversi."

Super omnia post Deum veritas est collenda, que sola Deo homines proximos facit cum et ipse Deus veritas sit. Et alibi Ihesus Syrac dixit, "Ante omnia opera tua verbum verax precedat te, et ante omnem actum consilium stabile." Et alibi Salomon rogavit Dominum, dicens: "Duo rogavi te, Domine, ne deneges mihi antequam moriar: vanitatem et verba mendacij longe faca me."

Ita ergo veritatem loqui debes, ut dictum tuum habeat pondus iurandi, et nil intersit tuam simplicem assertionem, et iuriandum. Nam Seneca dixit, "Dictum, cuius non habet iurisiurandi pondus, eius quoque iurisiurandipondus vile est." Et sic veritatem sequendo aliis semper bene poteris respondere. Nam ut ait quidam sapiens, "Levis responsio veri [ubi?] veritatis est administratio." Et alibi dictum est, "Non multum laborat qui falsitatem veritatis allegatione concludit;" iuxta illud, "Qui verum dicit non laborat." Cohercenda etiam lingua est ut non loquatur dolum. Ut ait propheta, "Prohibe linguam tuam malo, et labia tua ne loquantur dolum." Et etiam beatus Petrus in epistolasua prima dixit,

Qui enim vult vitam diligere, et videre dies bonos, cohercet linguam suam a malo, et labia sua ne loquantur dolum. Declinet a malo, et faciat bonum: inquerat pacem, et sequatur eam: quia oculi Domini super iustos, et aures eius ad preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala.

Refrenanda est etiam lingua ut sit dulcis et suavis et gracia et beneet bona loquatur. Nam ut ait Ihesus filius Sirac, "Tibie et psalterium suavem faciunt melodiam; et super utraque lingua suavis." Et alibi, "Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos, et lingua cum charis graciostain bono homine habundat." Et alibi, "Favus mellis verba composita; dulcedo anime et sanitas ossium." Et quidam aliud dixit, "Principium amicitie est bene loqui, maledicere vero

exordium inimicitarum." Et Pamphilus dixit,"Excitat et nutrit facundia dulcis amorem." Bona enim locutio valde utilis est atque a sapientibus affaectanda. Unde Seneca in libris epistolarum dixit, "Quicquid bene dictum est ab ullo, meum est." Refrenanda est eciam lingua ut sit mollis, et molles faciat responsiones. Nam ut dixit sapiens,"Mollis responsio frangit iram; sermo quoque durus suscitat furorem."

Cohercenda est eciam lingua ut non proferat inania verba. Ut ait Seneca De Formula Honeste Vite, "Sermo quoque tuus non sit inanis, sed aut consoletur, aut doceat, aut precipiat, aut moneat."

Refrenanda est eciam lingua ut non habeat dentes, vel mordaces amonitiones vel reprehensiones, sed benignas. Nam idem Seneca, "Sales tui sine dentes int, ioci sine vilitate, risus sine cachino, vox sine clamore, incessu sine tumultu, quies sine desidia, et cum ab aliis luditur, tu aliquid facti ex cogitabis honesti."

Refrenanda est eciam lingua ut non proferat turpia verba, vel verba improperii, vel in honesta. Nam ut ait Apostolus, "Turpia colloquia bonos mores corrumpunt." Et Seneca dixit, "A verbis quoque turpibus abstinet, quia licentia eorum imprudentiam nutrit." Et Ihesus filius Syrac dixit, "Homo assuetus in verbis improperii in omnibus diebus suis non eruditetur." Et Socrates dixit, "Que facere turpe est, ea nec dicere honestum puto." Et alius dixit, "Non solum oculos castos convenit habere, sed linguam."

Refrenare et compescere debes insuper linguam tuam ut sit tarda ad loquendum, et ad iudicandum, et ad respondendum et non velox. Unde dixit sanctus Iacobus, "Esto velox ad audiendum: et tardus ad iram." Et Salomon ait, "Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum." Et alibi, "Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est quam illius correptio." Et quidam philosophus dixit, in hoc tamen incumbeat libentius audias quam loquaris: "Auribus frequentium utere quam lingua." Et alius dixit, "Ne properes respondere, donec fuerit finis interrogationis." Unde quidam philosophus dixit, "Serva silentium, donec loqui fuerit tibi necessarium." Nam ut ait Seneca, "Magna res est vocis et silentii temperamentum." Et Cassiodorus dixit, "Hec est regalis procul dubio virtus, tardius in verbapro rumpere, et celerius necessaria sentire." Et Salomon dixit, "Tempus accendi, et tempus loquendi." Et Paulus dixit in epistola ad Collocenses, "Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere." Et alibi dicitur, "Optimum iudicem existimo qui cito intelligit et tarde iudicat." "Deliberare enim utilia, mora est tutissima." "In iudicando enim criminosa est celeritas." Unde consuevit dici, "Ad penitendum properat qui cito iudicat." Et eciam dicitur, "Mora omnis odiosa est, sed sapientem facit."

Cohercenda est eciam lingua ut non certet de ea re que non molestat. Unde Ihesus filius Syrac dixit, "De ea re que te non molestat ne certaveris." Similiter, de dicto quod te non molestat, certare non debes, vel alium deridere. Ait enim Cato,

Alterius dictum aut factum ne carpseris unquam,  
Exemplo simili ne te derideat alter.

Nam per nimiam altercationem animus audientis turbatur, et in malivolentiam quandoque inducitur, et eciam in errorem amissa veritate frequenter labitur. Unde quidam philosophus dixit,

"Nimium altercando veritas ammittitur."

Refrenanda eciam est lingua ut taceat ne multa verba effundat. Nam utait Ieronimus, "Tacere qui nescit loqui;" nescit ergo stultus loqui, tacerenon potest. Unde quidam sapiens interrogatus, cur tantum taceret, an quiastultus esset, respondit: "Stultus tacere non potest." Salomon tamen dixit,"Stultus quoque, si tacuerit, sapiens reputatur." Et Cassiodorus dixit,"Tacens plerumque despabilis videtur, et si cum lingua nobilitat: semperremanet in honore."

Omnia siquidem bona accumulat lingua disserta. "Sapienti enim magisexpedit tacere pro se, quam loqui contra se, quia neminem tacendo, multosloquendo circumventes vidimus." Unde Cato ait,

Nam nulli tacuisse nocet, sed nocet esse locutum.

In dubio enim magis expedit tacere quam loqui. Unde quidam philosophusdixit, "Si dicere metuas, unde poeniteas, melius est ĀŽnon,ĀŒ quam ĀŽsic.ĀŒ"

Nimis enim loqui ad stultitiam, tacere vero ad prudenciam spectat. Tacendoenim quandoque gloriam consequinur, iniuriam fugimus, multaque mala fugamus. Quare in libro De Summo Bono scriptum est, "Gloriosius est tacendoiniuriam fugore, quam respondendo superare."

Locutio enim et responsio semper bona et certa esse debet. Quare quidamphilosophus inquirenti cuidam sapienti quomodo posset optime dicire, respondit:"Si non dixeris nisi quod bene scieris; multa certe verba effundere stultitiaest." Unde dicitur, "In multiloquo non deest peccatum." Et Salomon inEcclesiastico dixit, "Multas curas secuntur sompnia, et in multis sermonibusinvenitur stultitia." Et alibi, "In omni opere erit abundancia; ubi autemsunt verba plurima, ibi frequenter egestas." "Nichil ergo eque proderitquam quiescere, et nimium cum aliis loqui, secum multa," ut Seneca in epistolisdixit. Moderate tamen loqui et tacere debemus. Unde Panfilus dixit, "Necnimium taceas, nec superflua verba dicas." "Audias ergo plurima; paucavero respondeas," ut quidam sapiens ait. Conpescenda est insuper linguaut non sit clamosa, nec vocem emittat audacem. Ait enim Seneca in epistolis,"Quemadmodum sapienti viro incessus modestior convenit, ita oratio pressa,non audax." Et alibi idem ait, "Imperitorum consuetudo est vociferare delonge."

Coartari eciam debet lingua ut non sophistice loquatur. Nam ut ait Ihesusfilius Syrac, "Qui sophistice loquitur odibilis est; omni re defraudabitur. Non enim data est illi a Domino gracia."

Item ut non loquatur obscura vel ambigua, sed clara et aperta. Nam utait sapiens, "Sanctius est mutum esse, quam quod nemo intelligat dicere."Et lex dicit, "Nichil interest, neget quis an taceat interrogatus an obiscurerespondeat, ut incertum dimittat interrogantem." "Hec ergo sit propositinostri summa: quod sentimus loquamur, quod loquimur senciamus: concordetsermo cum vita," ut Seneca in epistolis ait.

Cohercenda est insuper lingua ne murmuret. Ait enim Paulus in epistolaprima ad Corinthios, "Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt,et perierunt ab exterminatore." Et Salomon dixit, "Custodite vos a murmurationeque nichil prodest, quoniam

responsum obscurum in vacuum non ibit."

Istud denique tua cognoscat discretio, quod sicut linguam tuam debes refrenare et spiritum cohibere circa tuos sermones, ita non debes accommodare cor tuum vel aures tuas cunctis sermonibus aliorum. Dixit enim Salomon, "Cunctis sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne forte audiasservum tuum maledicentem tibi: scit enim tua conscientia quia et tu crebromaledixisti aliis." Et Seneca in epistolis dixit, "Claudende sunt aures malis vocibus." Et Cato dixit,

Cum recte vivas, ne cures verba malorum,  
Arbitrij non est nostri, quod quisque loquatur.

Deum igitur invoca, toto affectu ab eo postula, ut ori tuo frenum inponat, linguamque tuam et spiritum tuum taliter compescat et domet, quod tuam loquelam ad eius servitium sanctum valeas exercere.

[Caput III.]

De doctrina amoris et dilectione Dei.

Doctrina igitur tua ab amore et dilectione Dei initium capiat. Quia ut ait Cassiodorus, "Ad omnia redditur habilis, quem inbuilt doctrina celestis." Et iterum, "Semper bene geritur, si celestis metus humanis moribus apponatur." Tua itaque intelligibilis discretio cognoscat quia amor alius est divinus, alius humanus, alius vero ad res alias humanas et temporales se inclinat. Unde in primis videndum est quid sit amor, qualiter intret mentes hominum, et inde dicatur amicus, et quis sit verus amicus, et quomodo acquiratur amor et dilectio Dei, et quomodo retineatur.

Amor Dei "est caritas de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta." Que eciam dicitur "finis precepti," de qua mentionem facit beatus Paulus in epistola prima ad Thymotheum in principio. Vel dicas Dei amor est vehemens cordis et anime ac mentis applicatio ad Deum diligendum. Unde Dominus dixit in evangelio, "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totamente tua, et ex tota anima tua, et proximum tuum sicut te ipsum." Oritur autem amor Dei a gratia Dei patris. Unde dixit Dominus Ihesus Christus, "Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum." Subaudi: per gratiam ad nostri amorem.

Intrat vero mentes hominum amor Dei per aures Dei inspiratione. Nam sicut beata Dei genitrix virgo semper Maria angelo annunciantre per aures concepit filium Dei Dominum nostrum Ihesum Christum, ita amor Dei et illius dilectio intrat per aures corda et mentes hominum Dei inspiratione, cum deo nobis aliquid annunciatur. Dicitur autem amicus omni custos unus. Est ergo verus amicus per excellentiam, hoc est Deus. Ille enim solus potest animum tuum custodire et animam tuam salvare. Ille namque talis est amicus, et taliter nos omnes diligit quod omnes vult salvari et neminem perire, et gaudet adeo super peccatoribus penitentiam agentibus: ut "maius gaudium sit ei super uno pecatore penitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis," ut in evangelio dicitur.

Et talis est amicus quod eciam servos vocavit amicos, dicendo apostolis,"Vos amici mei estis." Et eciam cum veniret Iudas ad tradendum eum, vocaviteum amicum, dicendo ei, "Amice, ad quid venisti?"

Et non tantum nos diligit, sed eciam omnia nobis bona tribuit, et pronobis creavit omnia, et omnia inspirat. Ut ait Apostolus, "Deus, qui fecit mundum, et omnia que in eo sunt, hic Dominus est celi et terre, et nulloindigens creavit omnia, et omnia inspirat: fecitque de uno omnem hominem habitare super universam faciem terre."

Illius ergo amorem toto affectu complectere ut eius amicitiis effitiaris.Nam si eum dilexeris ipse te diligit, ut ipsem dixit: "Ego diligentesme diligo." Et Apostolus in epistola ad Romanos dixit, "Scimus autem quoniamdiligentibus Deum omnia cooperantur in bonum." Et eciam in Ysaia scriptum est, "Quid oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, que preparavit Deus diligentibus his qui diligunt eum."

[Caput IV.]

Quomodo acquiritur amor Dei et dilectio Dei per fidem.

Amor autem et dilectio Dei acquiritur per fidem, spem, et karitatem.Per fidem vero que secundum Apostolum dicitur, "Sperandarum rerum substantia,argumentum non apparentum," acquiritur amor et dilectio Dei. Unde Apostolus dixit,

Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti re promissiones, obturaverunt ora leonum, et extinxerunt impetum ignis, effugaverunt acciemi gladii, convolaverunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castraeverterunt exterorum: acceperunt de resurrectione mortuos suos.

De qua sanctus Iohannes episcopus dixit,

Fides est religionis sanctissime fundamentum, karitas vinculum, amoris subsidium; hoc sanctitatem firmat, castitatem roborat, dignitatem exhortat; in pueris splendet, in iuvenibus floret, in provocatis appareat; gubernat sexus, gradus provehit, officia cuncta custodit; in paupere grata est, in mediocri lecta, in locuplete honesta. Fides amicitias servat, copulat, artes commendat, nullum despicit, nullum contempnit, nulli deest, nisi qui ei forte defuerit. Fides mandata tenet, precepta servat, promissa consumat. Fides familiares efficit Deo; amicos constituit ergo.

Quam fidem eciam Seneca epistolarum commendat, dicens: "Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, que nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corruptitur premio." Et Tullius De Amicitia commendavit fidem, dicens: "Firmamentum autem stabilitatis constancie que est, quam in animo gerimus, fides." Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum. Et fides ita placuit Deo, quid Dominus noster Ihesus Christus neminem sanabat, nisi firmam fidem in eo haberet. Habentes autem firmam fidem sanabat. Insuperet salvabat, dicendo, "Fides tua te salvum fecit," ut dixit ceco cui visum restituit, et leproso quem mundavit, et multis aliis.

In fide enim ministrare debes virtutem, ut beatus Petrus in epistolasua secunda ait, dicens:

Vos autem curam omnem subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinenciam, in abstinencia autem pacientiam, in pacientia pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis caritatem.

Per fidem certe homo Deo ut placuit ut latro in cruce, et sine fide displicethomo. Unde Apostolus ait, "Impossibile sine fide aliquem placere Deo." Et per fidem eciam vincimus mundum. Unde beatus Iohannes in epistola suadixit, "Hec est victoria que vicit mundum, fides nostra." Et eciam ex fide iusti vivunt. Unde Apostolus in epistola ad Romanos dixit, "Iustus autem ex fide vivit."

Et intelligo fidem catholicam, hoc est universalem, quam Romana ecclesia docet, colit et veneratur, secundum quod in "Quicumque vult," et in "Crede in Deum" continetur. Et intelligas fidem vivam et non mortuam; hoc est bonis operibus vestitam. Nam ut ait Apostolus, "Fides sine operibus mortua est." Et licet in operibus quandoque successit desit, quia opera non sortiuntur effectum, fides tamen propter hoc non est derelinquaenda. Nam dixit quidam sapiens, "Malo mihi successum deesse quam fidem." Nam ut quidam sapiens dixit, "Fidem qui perdit, quo se servet non est relictum." Et intelligas fidem firmam et indubitatam. Nam de facto Dei nullo modo debes dubitare. Beatus Petrus apostolus, cum Dominus Ihesus Christus ambularet super aquas maris, dixit ei: "Si tu es Dominus, iube venire ad te." Et cum iuxta preceptum Dei ambularet super aquas maris, dubitavit. Unde statim cepit submersus propter dubitationem. Quare Dominus apprehendens eum per manum sublevavit eum, dicens: "Modice fidei, quare dubitasti?"

Et alibi beatus Iacobus in epistola sua prima dixit,

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus abundanter, et non improberat: et dabitur ei. Postulet autem in fide nichil hesitans: qui enim hesitat, similis est fluctui maris, qui a vento moveturet circumfertur: non ergo extimet homo ille quod vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.

Et eciam Dominus in evangelio dixit,

Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hesitaveritis, si montiet huic dixeritis: tolle, et iacta te in mare, fiet. Et omnia quecumque pecieritis in oratione credentes, accipietis.

Et in Ecclesiastico dicitur, "Cor ingrediens duas vias non habebit tequiem, et pravi cordis nullis scandalizabitur." Et Seneca in epistolis dixit, "Qui, quo destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, et non per multas vagetur." Et alibi, "Vita sine proposito vaga est: nichilque turpius dubio et incerto actu."

[Caput V.]

Per spem.

Per spem autem acquiritur amor et dilectio Dei. Spes est expectatio certa future beatitudinis. De qua spe namque dicitur, "Spera in Deo, et fac bonitatem." "Inquire pacem, et perseguere eam." Et alibi, "Iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet." Et alibi, "Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet."

Salvat enim Dominus omnes sperantes in se, ut ait propheta: "Mirificamisericordias tuas,

qui salvos facis sperantes in te." Nam sperantes firmiterin Domino ab eo proteguntur et liberantur ab eo, nec confunduntur, nec confirmantur, et ab eo redimuntur et pascuntur eciam in divitiis eius. Ut ait propheta, "Et sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquerint querentes te, Domine." Et alibi, "Deus meus, in polluta via eius, eloquaDomini igne examinata, protector est omnium sperantium in se." Et alibi,"In te speraverunt patres nostri; speraverunt, et liberasti eos. Ad te clamaverunt, et salvi sunt; in te speraverunt, et non sunt confusi." Et alibi, "Iudica me, quoniam ego in innocencia mea ingressus sum, in Dominosperans non infirmabor." Et alibi, "In te, Domine, speravi; non confundar in aeternum; in iustitia tua libera me." Et alibi, "Redimet Dominus animasservorum suorum, et non dereliquid omnes qui sperant in eo." Et alibi,"Spera in Domino, et fac bonitatem: et inhabita terram, et pasceris indivitiis eius." Et alibi, "Adiuuabit eos Dominus, et liberabit eos; eteruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo." Et alibi dixit Apostolus in epistola ad Romanos, "Spe enim salvi facti sumus.Spes autem que videtur, non est spes." Et nota quod "spes est ultimum malorum solatum," ut dixit Seneca De Legalibus Institutis.

## [Caput VI.]

Per karitatem.

Per caritatem autem acquiritur amor et dilectio Dei, quia per illam omnes virtutes et omnia bona coniunctur. Nam ut ait beatus Petrus in epistolasua prima, "Caritas operit multitudinem peccatorum." Adeo ut dicatur, "Habeas caritatem et fac quicquid vis." Nam "Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo," ut beatus Iohannes in epistolasua dixit.

Est autem karitas, secundum Augustinum, animi motus ad serviendum Deopropter se, et sibi et proximo propter Deum. Et caritatem habeas secundum quod in epistola sancti Pauli diffinitur, et amicus Dei reputaberis. Intelligo eam caritatem, id est, helmosinam. Unde dicitur, "Date helmosinam: et omnia munda erunt vobis." Et alibi dicitur per sapientem, "Qui obturata urem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, et non exaudietur." Et alibi, "Qui dat pauperi non indigebit: qui autem despicit deprecantem sustinebit penuriam." Et Seneca dixit, "Habet in adversis consilia, qui in prosperis commodat." Et alibi filius Sirac dixit, "Eelemosina viri quasi saculum cum ipso." Et alibi Ysaias dixit,

Frage panem tuum esurienti, et egenos vagosque unduc in domum tuam; si videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despixeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum; et sanitas tua orietur.

Nunquam enim Deus melius cognoscitur quam per fractionem panis causa helmosine faciende, quod manifeste potes per evangelium Dei cognoscere. Nam apostoliqui cum Domino cotidie conversati fuerant, post illius resurrectionem eum non cognoscebant, licet eum viderent exponentem eis scripturas et incipientem Moysem et prophetis. Cognoverunt tamen eum in fractione panis, quasi Dominus daret illis manifeste intelligere quod Deus nunquam melius cognoscit nec oculi peccatorum ad cognitionem Dei melius aperiuntur quam per fractionem panis ad helmosinam faciendam. Per helmosinam enim efficitur homo beatus, et in die mala a Domino liberabitur. Fit eciam iocundus et sermones suos in iuditio bene disponet. Ut ait propheta, "Beatus qui intelligit super regnum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus." Et alibi, "Iocundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in iuditio; qui in eternum non

commovebitur."

Multis enim rationibus debemus ylariter helimosinas facere, quia "Ilaremdatorem diligit Deus," ut dixit Apostolus in epistola sua ad Corinthios, et quia predicta bona inde consequimur, et quia cum damus helimosinas noneas ammittimus, sed nobis eas conservamus. Et per eas in domo Domini recipimur. Unde dicit Dominus, "Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: qui recipient vos in eterna tabernacula." Et quia dando helymosinam, non tantum pauperidamus, sed ipsi Deo, ut ipsemet testatur dicens, "Que uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis." Et eciam quidam sapiens dixit,

Quisquis es, in mensa primum de paupere pensa;

Nam dum pascis amice Deum pauperis in specie, nam latet ipse Deus.

Bonum est ergo helmosina donum, quod cum donatur nobis conservatur, et in thesauris Dei nobis reconditur, unde dicit Dominus, "Thesaurizate vobisthesaurum in celo, ubi nec erugo neque tinea demolitur." Et eciam Marcialis Cocus dixit,

Qui iustis sanctisque viris, Tigille, ministrat,

Sumit ubi donat, spargit et accumulat.

Qui vero indignis bis munera prestita perdit,

Et quoniam donat, donat et inmeritis.

Tu quoque communis meretricibus et parasitis

Quicquid habes perdis, perderis ergo miser.

Quidam tamen philosophus dixit, "Si imitaris, da ingratis." Nam et sceleratiset piratis maria patent.

Omnibus ergo pauperibus benefacere debes, non advertendo faciem tuamab ullo paupere, secundum Tobiam qui ait,

De substantia tua fac helemosinam, et noli avertere faciem tuam abullo paupere: ita fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Quantomodopotueris, misericors esto. Si multum tibi fuerit, habundanter tribue: si exiguum fuerit, eciam exiguum libenter impertiri stude. Premium enim bonumthesaurizas tibi in die necessitatis; quoniam helmosina ab omni peccatoet a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebris. Fiducia magnaerit coram summo Deo helemosina omnibus qui faciunt eam.

Et angelus Raphael dixit ad Tobiam,

Bona est oratio cum ieunio et helmosina magis quam thesauros aurirecondere: quoniam helmosina a morte liberat, et purgat peccata, et facilitinvenire vitam eternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostessunt anime sue.

Et ideo forte Daniel propheta dixit Nabuchodonosor regi qui previderat destructionem regni sui per sompnum arboris,

Placeat tibi, rex, consilium meum; peccata tua helmosinis redime, et iniquitates tuas miserationibus pauperum: et forsitan ignoscet tibi Deus peccata tua.

Nec credas quod propter copiam helemosinarum bona tua decrescant vel minuantur; immo credas que augentur et crescent, nam sicut quando lucet candela et tardet, et lumen ab ea sumitur, lumen prime candele non minuitur, sed duplicatur, ita per datum helmosinarum substantia tua crescit et augetur. Quod potes manifeste cognoscere per exempla divina. Deus enim noster Ihesus Christuscum vidisset turbam que secuta fuerat eum in deserto, misertus fuit supeream dicens, "Si dimisero eos ieunos, in via deficient." Et volens facere helmosinam de substantia sua ab eo creata, pavit .v. milia hominum exceptis parvulis et mulieribus de .v. panibus et duobus piscibus. Elimosina Dei ita facta, substantia Dei ab eo creata in tantum crevit et habundavit ut ex reliquiis panum et

piscium que superfuerant et habundaverant duodecimcophini replerentur. Similiter substantia Domini habundavit et crevit quandopavit Dominus .iiiior. milia hominum extra parvulos et mulieres de vii.panibus et pisciculis paucis et ex reliquiis que superfuerant .vii. sportecollecte sunt fragmentorum plene.

Potes eciam cognoscere quod divitie hominum non minuuntur, sed crescunt per elimosinas per multa exempla humana. Nam multas bonas domos vidi quarum divitie habundaverunt et creverunt quando helimosine in eis habundabant et habundanter fiebant. Elimosinis autem per avaritiam annichilata sunt penitus et destructa. Sicut enim homo per elimosinas efficitur beatus et in eterna tabernacula recipitur, ita per subtractionem helimosinarum per avariciam efficiter homicida et recta via vadit ad tartara. Unde dicitur, "Si videris fratrem tuum fame morientem nec paveris, occidisti." Et Cassiodorus dixit, "Merito quando quis potest esurientibus subvenire si non pascit extingunt." Elimosina certe extinguit peccatum. Unde Ihesus filius Syrac dixit,

Ignem ardente extinguit aqua, sic elimosina extinguit peccata et resistit peccatis. Fili, helimosinam pauperis ne defraudes, et oculos tuosne a paupere. Animam esurientem ne despexeris, et si exasperes in opiam suam. Ab inope ne avertas oculos propter iram; et non relinquas querentibuste retro maledicere.

Et alibi, "Conclude ehlimosinam in cor pauperis, et hec pro te exorabit ab omni malo." Et beatus Iohannes in epistola sua dixit, "Qui habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum necessitatem pacientem, et clauerit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?"

Ut ergo mortem evites et recipiaris in paradisum, secundum quod Apostolus dixit in epistola ad Galathas, "Operis bonum ad omnes, et maxime ad domesticos fidei." "Ad omnes" dico quibus commode benefacere potes. Nemo enim de substantia huius mundi benefacere potest omnibus nisi solus Deus. Omnibus ergo benefacet maxime egenis. Ait enim Cassiodorus, "Egentibus iussum est non divitibus subveniri; fundit potius qui mittit in plenum." "Honora ergo Dominum desubstantia tua omnium frugum tuarum et in plebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia redundabunt," ut Salomon dixit. Honore ergo debes Dominum de tua substantia, et cum usuris melioratam accipies. Nam ut ait idem, "Feneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei." Ait enim Ysaia,

Cum funderis animam tuam esurienti; et animam efflictam repleveris, orientur in tenebris lux tua, et tenebre tue erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus Deus semper, salvabit in splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi ortus irriguus, et sicut fons vivus cuius non deficiunt aque.

Et honorare debes Dominum de tua substantia, et cum esurienti panem tuum dividere, et habebis laudem in Deo. Ut ait Seneca in epistolis suis, "Magna quidem laus est, naufrago manum porrigerere, erranti viam monstrare, et esurienti panem suum dividere." Non tamen facere debes amore laudis sed tribueredebes de tua substantia bona intentione et non ex vana gloria. Nam ut ait Dominus, "Cum, facias elimosinam, noli tuba canere, sed secreto ut nesciatis in ista tua quod faciat dextra tua."

Facias ergo helimosinas ylariter et non triste. Nam ut Marcialis Cucus dixit,

Si donas tristis, et dona et premia perdis.

Et habunde facias helimosinam secundum vires et facultates tuas et ex tua abundantia, ut helemosine tue non sint aliis consolatio, tibi autem tribulatio, nec expectes quod filii tui pro te vel alii faciant helemosinas, vel ablata restituant. Dixit enim filius Syrac, "Ante mortem benefac amico

tuo, et secundum vires tuas exporigens da pauperi. Nonne alii relinques laborestuos." Nam ut ait Apostolus Paulus in epistola ad Corinthios,

Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, et non secundum id quod non habet. Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex equalitate. In presenti tempore vestra habundantia aliorum in opiam suppleat: sicut illorum habundantia vestre debet esse in opies supplementum.

Et eciam Seneca in Beneficiis dixit, "Dabo egenti sed ut ipse nonegam; succuram perituro sed ut ipse non peream." Et Martialis Cocus dixit,

Ne noceas tibi, aliis prodesse memento;  
Velle beare alios, prope odire te, miserum est.  
Et Cato dixit,  
Sic bonus esto bonis, ne te mala damna sequantur.

Et non solum tibi nocere non debes propter munificantiam vel liberalitatem tuam, sed nec aliis. Ait enim Cassiodorus, "Munificantiam nostram nullivolumus extare dampnosam, neque alteri tribuitur, alterius dispendio applicetur. Inde eciam Tullius dixit,

Videndum est ut ea libertate utamur que proposit amicis, neminem noceat. Et tali liberalitate uti debemus ut de nostro, non de alieno tribuamus. Tribuere enim de alieno non est iustum; ergo nec liberare.

Unde idem Tullius dixit, "Nichil est liberale quod non sit iustum." Etcavere debemus ne maior sit tribuendi benignitas quam facultates. Ut idem dixit, "Secundum ergo facultates et posse tuum serva." Cassiodori dictumeorum ait, "Persona tua refugium sit oppresso, infirmi defensio, et presidium aliquia calamitate concluso."

[Caput VII.]

Qualiter retineatur amor Dei.

Retinetur amor et illius dilectio perseverantia. Unde dicitur, non qui incepit, sed qui perseveravit aptus regno Dei. "Qui autem perseveraveritusque in finem, hic salvus erit." Et alibi eciam dicitur, "Nemo mittens manum ad aratum, respiciens retro, aptus est regno celorum." Et sanctus Iohannes in epistola sua dixit, "Omnis qui precedit, et non permanet indoctrinata Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina eius, hic Filium et Patrem habet."

De amore Dei et dilectione illius, per magnitudinem negotii et mei paucitatem ingenii ad plenum te non possum docere. Sed hoc me breviter et succincte quasi sumatim tibi scripsisse sufficiat; tu autem ex tuo ingenio ad nontibi prestito semper augeas et superaddas ut per Dei gratiam ad illius amorem et dilectionem valeas pervenire.

## Liber II

De amore proximi et dilectione liber.

Habito tractatu de amore Dei et dilectione ipsius, tractandum est de amore et dilectione proximi, que illi coheret et sine qua Dei amor haberinon potest. Ut sanctus Iohannes in epistola sua dixit, "Et omnis qui diligit fratrem, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus caritas est." Et alibi eciam dixit,

Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est. Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo: qui diligit Deum diligat fratrem suum.

Et beatus Paulus dixit, "Qui diligit proximum, legem implevit." Et a sapiente eciam dictum est,

In tribus placitum est spiritui meo, que sunt probata coram Deo ethominibus: concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et uxor sibi consencientes. Tres autem species odivit anima mea: pauperem superbum, divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum.

Et eciam cum Dominus dixisset, "Diligens Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua," statim subiunxit, "Et proximum tuum, sicut te ipsum," dicens, "In hiis duobus mandatis tota lex pendet, et prophete." Diligas ergo proximum sicut te ipsum, ut istud "sicut" notet similitudinem et non quantitatem. Nemo enim potest tantum alium diligere quantum ad ipsum diligit; sufficit enim si diligis proximum ad id ad quod te ipsum diligis, id est, ad vitam eternam.

Omnis ergo homines generaliter et universaliter in proximo sunt diligendi. Nam voluntatem debes habere et eciam in actu prout potes completere ut homines boni sint et Deo serviant, et bona opera in paradisum vadant. Recto igitur amore omnes diligas, non pravo. Amor enim aliis est rectus qui dicitur caritas, de quo supra dixi in titulo De Amore et Dilectione Dei; aliis vero pravus, qui cupiditas potest nuncupari. De quo Valterius tractavit illumque definivit dicens:

Amor est passio quedam innata procedens ex visione et inmoderata cogitatione forme alterius sexus, ob quam quidem aliquis super omnia cupit alterius potiri amplexibus, et omnia de utriusque voluntate in ipsius amplexu amoris precepta conpecti.

Diligas ergo homines in bonum et non in malum. Nam Apostolus dicit, "Nolivinci a malo, sed vince in bono malum." Et alibi in epistola ad Romanos, "Unusquisque vestrum proximo suo placet in bonum."

Qui enim diligit alium consentiendo malo non illum diligit, sed pocius odit, se ipsum dampnat. Bis enim peccat qui peccato obsequium accommodat, qui enim peccat, ut sanctus Prosper dixit, "Homines sic sunt diligendi, ut erores non diligentur." De amore igitur hominis in hominem dic ut plenius notavit Augustinus in sermone suo qui legitur in Dominica post Pentecostem, qui sic incipit "Non solum in novo," et cetera.

[Caput I.]

Unde oriatur amor et qualiter.

Et nota quod amor ad modum cristali oritur, coagulatur, vel gelatur, zelatur, in amicitiam convertitur, et per bonam conversationem et longam consuetudinem quasi in naturam deducitur, adeo ut quasi lapis clarus efficiatur. Amor hominis velud lacrima ab oculis oritur et in pectus cadit. Orituret quandoque ab auribus. Nam si audieris tibi filium esse natum quem nunquam vidisti, per solum auditum aurium concipitur amor in corde tuo, ut eum incipias diligere. Idem eciam est cum de aliquo bono homine multa bona audis, vel servitia ab eo percipis. Concipis enim amorem per aures ad illum diligendum. Coagulatur autem et celatur itaque in amicitiam convertitur per fidem, per convivium, per locutionem sive loquela, et per bona servitia invicem data et accepta.

Per fidem coagulatur, secundum Senecam qui ait, "Amici fides coagulatum est amicitie, sapientia firmamentum." Per convivium autem inter bonos homines coagulatur amor, ut dixit quidam sapiens: "Convivium est coagulum amicitie inter bonos; inter malos autem discessio." Unde dixit Seneca in epistolis, "Ante circumspiciendum est cum quibus edas et bibas, quam quid edas et bibas. Epulatio sine amico leonis ac lupi vita est."

Superbo oculo et insaciabili corde cum hoc non edebam, licet autem sit convivium coagulum amicitie. Non tamen frequentandum est multis rationibus, et quia in convivio multi mali homines quandoque congregantur, et quia discensiones maxime inde quandoque oriuntur, et quia superfluitates multe illic fiunt, et quia per convivia frequentia substantia hominum valde minoratur. Unde Salomon dixit, "Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivare." Et Cato dixit, "Raro convivare."

Per locutionem autem bonam coagulatur amor et in amicitiam cadit. Unde quidam sapiens dixit, "Principium amicitie est bene loqui; maledicere vero exordium inimicitiarum." Et eciam Pamphilus dixit, "Excitat et nutrit facundia dulcis amorem." Per bona autem obsequia invicem data atque recepta, zelatur amor et cadit in amicitiam. Et efficitur homo zelosus, unde dicitur: "Zelosus domus tue comodit me." Et alibi, "Noli emulari in malignantibus, ne quezela eris facientes iniquitatem." Quare Regula Amoris dicit, "Quoniam zelat, amare non potest," et: "Ex vera zelotypia affectus semper cressit amandi mutua."

Per mutua eciam servitia invicem data atque recepta, acquiritur amicitia et conservatur et retinetur. Unde dici consuevit, "Audio sic dici: dandore tintentur amici." Et Cato dixit,

Obsequio quoniam dulces retinentur amici.  
Ne dubitas cum magna petas impendere parva:  
His etenim rebus coniungit gratia caros.  
Et alibi, "Dapsilis interdum notis caris amicis."  
Quod donare potes, gratis concede roganti!  
Nam recte fecisse bonis, in parte lucrorum est.

Et Terentius dixit, "Obsequium amicos, veritas odium parit." Si enim ab amico tamen modo sumperis, nunquam illi tribuendo, illius amicitiam meritoperdes. Cum autem semper dampna suscipiat, nunquam autem lucra amicus enim utilitatis causa assumitur, et si parte semper dampna

patitur. Tua amici ipsi non placebit. Nam ut dixit philosophus, "Qui utilitatis causa assumptus est, tamdiu placebit quamdiu utilis fuerit." Et certe si amicus tibi sepedederit, decuit te illi reddere. Unde quidam philosophus dixit, "Beneficium sepe dare, docere est reddere." Licet enim Seneca epistolarum dixit, "Beneficiorum usum gratum homines esse putant: illa crescent mora et tanto plus solvendum est, quanto tardius. Ingratus est, qui beneficium reddit sine usura."

Sed licet beneficia per moram crescant; non tamen congrua mora in hiis est reprehendenda. Nam dixit quidam philosophus, "Tene rectam iustitiam inter homines, et diligunt te; et non properes ulli reddere mutuum bonivel mali, quia diutius expectabit te amicus et diutius timebit te inimicus." Reddere debes ergo beneficium amico cum usuris si potes. Alioquin in memoria frequenter habeas beneficium tibi collatum, et benefactorem inde collaudes. Ait enim Seneca, "Satis magna est usura pro beneficio memoria." Et eciam benefactorem reverearis et timeas. Nam ut idem ait, "Optime positum est beneficium, ubi meminit, qui accipiunt."

Et diligenter caveas, ne reddeas malum pro bono, sive beneficio, quod esset iniquum nec tollerandum a Deo. Nam ut Salomon in Proverbiis, "Quireddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius." Et si nunquam amicotribuis, iniuste postea ab eo petis. Et alibi dicitur, "Beneficium quidare nescit, iniuste petit." Immo eciam in odium cadit. Ut Seneca dixit, "Nullum est odium perniciosius quam beneficii violati pudere."

Libentius enim debes beneficium reddere, quam de novo recipere. Inde eciam idem Seneca dixit,

Errat, qui beneficium accipit libentius quam reddeat: quanto ilario rest qui solvit quam qui mutuat, tanto debet esse ylarior, qui se maximohere alieno accepti beneficij exhonoret, quam qui maximo obligatur.

Qui enim de accipiendo cogitat, oblitus est accepti. Nec est amicitia, sed negotiatio, que ad commodum accedit, que quod consuetura sit, spectat. Quare dictum est, "Dignus decipi qui de recipiendo cogitat dum dat." Quod si reddere beneficium factis non potes, saltem per confessionem beneficii retribue. Nam ut ait idem Seneca, "Interdum autem solutio est beneficii ipsa confessio." Que negatio autem beneficii ad malignitatem et ingratitudinem spectat. Unde quidam philosophus dixit, "Benefactum qui denegat, coram oculis omnia cernentis se accusat."

De quibus beneficiis et servitis dandis et recipiendis plenius nota ibidem in titulo De Retinendis Amicis. Placeat autem tibi alterius amicitiam et amici commodo conservare et non cum alterius incommodo sivesit amicus sive inimicus. Nam ut ait Tullius De Officiis, "Ne quedol or, neque mors, neque aliud, quod extrinsecus homini accidere possit, tam est contra naturam, quam ex alieno incommodo suum augere commodum." Unde Seneca dixit, "Satius est sua mala quam aliena tractare." Et alibi, "Miserius est nocere quam ledi."

Per bonam autem conversationem et longam consuetudinem in naturam convertitura Deo, ut quasi lapis efficiatur, quia consuetudo est altera natura. Sicut enim aqua funtis et putei assidua et longa consuetudine semper melior efficitur, ita amor inveteratus semper novo melior invenitur. Unde Ihesus filius Sirac dixit, "Vinum novum et amicus novus; in vetescant, et cum suavitate bibet illud." Et alibi, "Amicum tuum et amicum natris tui non derelinquas; novus enim non erit similis illi." Et nota quod sicut antiqua amicitia per longam consuetudinem in habitum mentis sumpta ita congelatur

quod quasi lapisclarus efficiatur, ita ira inveterata odium dicitur, et odium inveteratuma Deo in naturam convertitur. In inimico antiquo numquam confidere possis. Unde quidam philosophus dixit, "Ne associes te inimicis tuis, cum alios possis reperire socios; que enim mala egeris notabunt, que vero bona fuerint, deviabunt." Plus vero dixit alius philosophus, videlicet: Ignotos quasi inimicos esse vitandos et in eis non esse confidendum ante cognitionem. Ait enim:

Non aggrediaris viam cum aliquo, nisi eum prius agnoveris! Si quisquam tibi in via ignotus se associaverit iterque tuum investigaverit, dic tevelle longius ire quam disposueris; et si detulerit lanceam, vade ad dextram; si ensem, ad sinistram.

Salomon vero de inimicio antiqua dixit, "Inimico antiquo ne credas in eternum; et si humiliatus vadat curvus." "Ne credas ei; captus enim utilitate, non amicitia, revertitur voluntate, ut capiat fugiendo, quod non potuit persequendo." Et alibi, "In oculis tuis lacrimabitur inimicus, et si viderit tempus, non satiabitur sanguine tuo." Quare Seneca dixit, "Pro amico potius occidi expedit, quam cum inimico vivare." Et eciam Ysoppus dixit,

Ne confidatis secreta nec his retegatis,  
Cum quibus egistis pugne discrimina tristis.  
Et alibi idem dixit,  
Nulla fides hosti tibi sit, qui talia nosi,  
Prorsus et hostilia tibi sit persuasio vilis.  
Fraude necis dire, nec sic videare perire.

Nam et quidam philosophus dixit, "Cum inimico nemo tute in gratiam reddit." Quia ut ait Seneca, "Numquam ubi fumat diu ignis deficit vapor," enim odio semper latet in pectore inimici. Et odium secundum Tullium est venenum amicitie, quare amicitia eius vel gratia quesita, de facili non bene potest durare. Et alius dixit, "Inimici ad animum nulle preces convenientiunt."

## [Caput II.]

### De incommodis amoris pravi.

Et nota quod amoris multa sunt incomoda, si in pravam partem inclinet. Nam ut ait Seneca, "Semper in amorem causa dampni quere." Et alius dixit, "Cum amas, non sapies; cum sapies, non amabis." Et Regule Amoris dicunt, "Minus dormit et edit, quem amoris cogitatio vexat." Et: "Quilibet amans actus in coamantis cogitatione finitur." "Verus amans nil beatum credit nisi quod cogitet coamanti placere." Et: "Amor nil posset amantidene negare." Et: "Non solvet amare, quem nimia voluptatis habundantia vexat." Et: "Amans coamantis solatiis satiari non potest." Et: "Amorosus et omnis consuevit amans in coamantis aspectu pallescere." Et: "In repentina coamantis visione contremescit amans." Et: "Verus amor assidua sine intermissione coamantis ymaginatione detinetur." Et poeta dixit, "Res est solliciti plenatimoris amor."

Hii itaque pensatis et multis aliis que vix possent enarrare vel cogitari, Ovidius epistolarum appellat amorem orbum et non videntem dicens,

Victa precor genibusque tuis regalia tendo  
Brachia quid deceat, non videt ullus amans.

Et lex vocat amorem furiosum dicens, "Amoris furore nichil est vehementius; quem retinere perfecte est philosophie." Retinere ergo amorem tuum et restringere debes, ne amor qui rectus esse

debet pravus efficiatur.

Sicut enim puer nisi per virgam et baculum castigaretur, stultus fieret, ut ait sapiens: "Stultitia colligata est in corde pueri, virgula et baculus fugabunt eam." Et propheta eciam dixit, "Virga tua, et baculus tuus, ipsame consolata sunt. Ita amor nisi restringeretur efficeret vagus, et incupiditatem et in libidinem caderet, que vitia non sunt immitanda, sed penitus fugienda." Nam dixit sapiens, "Post concupiscentias tuas non eas," in derisum inimicorum tuorum. Et aliud dixit, "In bello corpora hominum gladiis, in pace voluptatibus vulnerantur." Ovidius dixit,

Utile propositum est sevas extinguere flamas  
Nec servum viti pectus habere tuum.

Amorem autem tuum non bene restringere potes quando oriatur. Primus enim motus amoris qui per oculos et aures oritur in nobis non est. Primi nota quod motus, id est, motus qui oriuntur a quinque sensibus. Hoc est a visu, auditu, gustu, odoratu, et tactu. In nobis non sunt, sed in Domino quiprestitit nobis illos sensus. Nam eo ipso quod vides vel audis rem placabilem, moveris ad illam diligendam. Quare Seneca dixit, "Nec mortem effugere, nec amorem quisquam potest." Restituere tamen potes motum illum, ne amor in amicitiam malam convertatur. Et licet dixerim ortum amoris non beneposse restringi, restringitur tamen quandoque avertendo oculos ne videant vanitatem, ut ait propheta, "Averte oculos tuos, ne videant vanitatem." Nam ut ait Tullius, "Non solum manus, sed eciam oculos abstinentes oportet habere."

Abstinendo aures ne de amore prava audiant ad similitudinem aspidissurdi obturantis aures suas, que non exaudiet vocem incantantium et venefici incantamentis sapienter. Et abstinendo linguam ne de amore pravaloquatur. Nam ut Apostolus, "Turpia colloquia bonos mores corrumpunt." Et quidam sapiens dixit, "Sermo luxurie argumentum est luxurie." Et Seneca dixit, "A verbis quoque turpibus abstineto, quia licentia eorum impudentiam nutrit." Et Socrates dixit, "Que facere turpe est, et nec dicere honestum puto."

Nec eciam putas te turpia et inhonesta facere posse. Nam ut ait lex,

Que facta pietatem vel extimationem vel verecundiam nostram ledunt, et ut generaliter dicam, que contra mores fiunt, nec nos facere posse credendum est quoque animo fiant.

Nam ut dixit quidam philosophus,  
Nichil interest, quo animo facias, quod facere vitiosum est;  
Nam facta cernuntur, animus non videtur.

Amori ergo tuo frenum imponas, eiusque habenas taliter retineas ut si amortuus ab oculis ortus te scandalizat, verbum Domini observes, qui dixit, "Si oculus tuus scandalizat te, abscede eum, et prohice abs te." Impera ergo oculis tuis ne pecceant. Nam ut dixit sapiens, "Nichil peccant oculi, si oculis animus imperat." Alioquin insaciabiles essent oculi; nam dixit sapiens: "Infernus et perditio non implebuntur: similiter et oculi hominum insatiabiles."

Amorem itaque tuum oculis et auribus et lingue et animo imperando taliter restringas ac domes ut non efficiatur pravus, nec convertatur in amicitiam stulti, vel insipientis, nec in amicitiam avari, vel cupidi, vel perversi, vel superbi, vel fatui, sive loquacis et linguosi, vel iracundi. Et ut generaliter dicam, omnium malorum hominum amicitia districta est penitusevitanda.

[Caput III.]

## De amicitia stulti vel insipientis vitanda.

Amicitia stulti vel insipientis ideo non est amplectenda, quia stultialiena vitia cernunt et suorum obliviscuntur. Unde quidam philosophus dixit, "Proprium est stultitie aliena vitia cernere, suorum obliisci." Et quiacogitationes Dei non intelligit, ut ait propheta: "Vir insipiens non cognoscit, et stultus non intelliget hec." Nec recipiunt stulti correctionem, sed vie sue inherent. Unde sapiens ait, "In auribus insipientium ne loquaris, quia despiciens doctrinam eloquii tui." Et alibi, "Via stulti recta est in oculis eius, sapiens autem audit consilia." Et alibi, "Noli arguere irrisorem, ne te oderit: argue sapientem, et diligit te." Et alibi, "Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia." Et alibi, "Cor sapientis in dextera eius, et cor stulti in sinistra eius. Sed in via stultitiae ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos extimat." "Qui cum sapientibus graditur sapiens erit. Amicus autem stultorum similis efficietur." Et alibi, "Non decet stultum verba conposito, nec principem labium mentiens." Et alibi, "Vir sapiens si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem." Et aliud dicit, "Cum irrisore consortium non habeas: loquele eius assiduitatem quasi toxica fugias. Societas enim eius, tui laqueus fit alternaque affabilitas despectio."

Nec eciam potes cum stulto congrue loqui: non enim rationi alicuius attendit, nec auditum alicui prebet; quare si cum eo loqueris perdis verba. Nam ut ait Ihesus filius Sirac, "Qui narrat verbum non attendenti quasi qui excitat dormientem a gravi sompno. Cum dormiente loquitur, qui narrat stulto sapientiam, et in fine narrationis dicet: Quis est hic?" Unde alibi idem dicit, "Ubi non est auditus, non effundas sermonem, et importune noli extollи in sapientia tua." Importuna est narratio tua quando non prebetur tibi auditus, que est quasi musica in luctu. Unde idem ait, "Musica inluctu importuna narratio."

Nec eciam potes commode vivere cum stulto, quia tota vita eius pro luctu reputatur. Unde Ihesus filius Sirac dicit, "Luctus mortui septem diebus; fatui et impii, omnes dies vite illorum." Et non solum vitare debes colloquium stulti, sed eciam ipsi stulto silentium imponere si commode hoc facere potes, secundum verbum Salomonis qui ait, "Iudicium determinat causas, et qui imponit stulto silentium iras mitigat." Insuper eciam per datum in insipientis amicitiam eius perdis, nec retinere illam potes. Unde ait Ihesus filius Sirac, "Datus insipientis non erit utilis tibi; pauca dabit, et multa improperebit. Oculi enim illius septemplices sunt." Inde eciam Seneca de Beneficiis dicit, "Numquam improbe spei quod datur satis est maiora cupet quo maiora venerunt."

Et eciam multis rationibus amicitia stulti responda est. Nam ut vulgo dicitur, "Melius est collo portare stultum quam ei ostendere viam: licet stultus difficile portetur." Nam ut idem ait, "Arenam, et salem, et massam ferri facilis est portare quam hominem imprudentem, fatuum, et impium." Et aliud sapiens dicit, "Expedit magis urse occurrere raptis fetibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua." Non enim poteris stultum corrigeri. Citius enim te in suam stultitiam seducent, quam de tua sapientia aliquid capet. Omnes stulti et insipientes mali sunt, et malivolus animus abditos dentes habet. Et in malivolam animam non intrat sapientia, quare dixit quidam philosophus: "Dulcior est sapienti aspera vita inter sapientes quam dulcis vita inter insipientes."

Et non habeas pro magno amicitiam stulti, quia non est permanens. Pluseciam dico tibi: Non habeas amicitiam sapientis viri cum stultis et leccatoribus educati. Nam ut ait quidam philosophus, "Melior est societas simplicis inter sapientes nutriti, quam prudentis cum leccatoribus educati." Et licet stultus sit dives et fortunatus, non tamen eius districtam amicitiam habere procures. Ait enim Tullius De Amicitia, "Nec quicquam insipientefortunato intollerabilius potest fieri."

#### [Caput IV.]

De amicitia avari vel cupidi vitanda. Rubrica.

In te amicitiam autem avari vel cupidi amor tuus converti non debet, quia cum avaricia, secundum Apostolum, sit "radix omnium malorum," et ab avaro nulla bona possunt oriri. Avarus enim nisi cum moritur nil recte facit. Unde eciam Martialis Cochus dixit,

Non sibi non aliis prodest dum vivit avarus,  
Et prodest aliis et sibi dum moritur.

Et alius philosophus dixit, "In nullo avarus bonus est, in se pessimus." Et alius dixit, "Pecunia non satiat avarum, sed irritat." Et certe avaro Deus ipse non sufficit, unde Augustinus dixit: "Quid avarius est illo quem ei Deus ipse non sufficit?" Et nota quod avarus semper habet manus porrectas in accipiendo, clausas vero in dotes dando, et tribuendo vel retribuendo, contra dictum filii Sirac qui ait, "Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta." Quare non est dignus amore vel amicitia, unde Regula Amoris dixit, "Amor semper consuevit ab avaritie domiciliis exulare." Et alia Regula dixit, "Probitas sola quemque facit amare."

Quam probitatem certe avarus nullus potest habere, nec eciam potest avarus nancisci honorem avaritia obstante. Unde quidam dixit,

Nec sol splendorem nec thus prestabit odorem,  
Cum per avaritiam fuerit quis nactus honorem.

Indignus est enim avarus habere honorem vel dignitatem, et apud eum esset loco ignominie. Nam ut ait Seneca, "Loco ignominie est apud indignum dignitas." Et iterum, "Honos honestum decorat, in honestum notat." Et merito respondeat amicitia avari, quia ut ait Ihesus filius Sirac: "Avaro nichil scelestius. Quid superbit terra et cinis? Nichil est iniquius quam amare pecuniam." Avarus sibi namque malus et nullum diligit. Et ut ait sapiens, "Qui sibi ipsi malus est, nulli alii bonus erit." Nam ut ait Seneca, "Avarus ipse causa est sue miserie." Nam et sibi et aliis omnia denegat, quare idem ait: "Negandi causa nunquam avaro deficit."

Nec eciam potest avarus securam vitam ducere, cum de re producenda nimis cogitet, eodem testante qui ait, "Nulli potest secura vita contingere quide re producenda nimis cogitat." Et eciam miser est semper avarus, cumsua ei semper videantur parva et non ampla. Nam ut ait idem, "Si alicuis uia non videntur amplissima; licet totius mundi sit dominus, miser est." Et: "Avarus nulli gratus est; ergo nec sibi." Nam ut ait Seneca epistolarum, "Nemo sibi gratus est qui alteri non fuit." Et sive dives sit sive pauper, avaritia et omne malum semper illum comitatur quemadmodum enim nichil refert utrum egrum in ligneo lectulo, aut in aureo colloces. Quocumque autem illum transtuleris morbum suum secum transfert. Sic nichil refert utrum egeret avarus animus in

delitiis aut in paupertate ponatur, malum suum illumsequitur, ita quod desunt inopie multa, avaritie omnia. Nam ut ait Senecain epistolis, "Avaritia paupertatem intulit, et multa concupiscendo omniaamisit." Nam is in ymo eget qui nimium cupit. Hoc enim percipitur ut hominesin animo et non in patrimonio putent esse divitias.

Et cum avarus non possit comprimere animum suum propter avaritiam, conturbatsecum morantes et domum suam. Unde Salomon ait, "Conturbat domum suam quisectatur avaritiam; qui autem odit munera vivet." Quare avari amicitiamerito est vitanda. Et nota quod avarus proprie dicitur in retinendo, cupidusin acquirendo. Multi enim sunt qui per nimiam cupiditatem multa enormiteracquirunt. Postquam autem acquisierint non sunt in retinendo avari, sedacquisita per cupiditatem largiter expendunt atque consumunt. Concupiscentiaenim mala est. Nam is nimio eget qui nimium cupit. Unde Dominus dixit,"Non concupisces rem proximi tui." Et beatus Iacobus dixit, "Unusquisqueenim temptatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde cumconcupiscentiam conceperit, parit peccatum: cum consummatum fuerit, generatmortem." Et eciam Apostolus in epistola ad Timotheum dixit, "Radix omniummalorum est cupiditas." Et in tantum cupiditas mala est, ut cupienti animonihil satis festinetur. Unde dici consuevit, "Cupiditati tarda est celeritas." "Omnes enim prave cupiditates porte sunt inferni, per quas itur ad mortem." "Que si aliter auferri non possent, ipsum cor evellendum esset." Quia nichilamat cupiditas nisi quod non licet. Quare Seneca, "Ferocissima cupiditaspestis est, que solet egenos facere quos capit, dum finem querendi noninvenit." Nam ut idem ait, "Altera cupiditas ex fine alterius nascitur."Unde ait, "Fortior est qui cupiditatem vincit, quam qui hostem subicit."Inde eciam Tullius De Senectute dixit,

Nullam capitaliorem pestem quam voluptatem corporis hominibus a naturadatam, cuius voluptatis avide libidines et temere et effrenate ad pociendumincitatur. Hinc patrie prodiciones, hinc rerum publicarum eversiones, hinccum hostibus clandestina colloquia nasci.

Dicebat,

Nullum denique scelus, nullum facinus malum esse, ad quod suscipiendumnon libido voluptatis impelleret; stupra vero et adulteria et omne taleflagitium nullis aliis illecebris excitari nisi voluptatis; cumque naturahomini sive natura sive quis deus nichil mente prestabilius dedisset, huicdivino muneri ac dono nichil tam esse inimicum quam voluptatem. Nec enimlibidine dominante locum temperantie esse, nec omnino in voluptatis regnovernitatem posse consistere. Quocirca nichil esse tam detestabile tam pestiferumquam voluptatem, si quid ea, cum maior esset atque longior, omne animilumen extinguit.

[Caput V.]

De amicitia superbi vel perversi vitanda.

Amorem quoque tuum taliter compescas atque distringas, ut in amicitiamsuperbi vel perversi hominis nullatenus te constringat. "Superbis enimresistit, humilibus autem dat gratiam," ut sanctus Petrus in epistola suaprima dixit. Superbia enim homines servos facit et libertatem mentis tollit.Unde dixit sapiens, "Liber non est, quem superbus inflammat animus." Eteciā pacem tollit, ut Martialis Cocus ait:

Et heream pacem ventosa superbìa tollit,  
Atque tumor mentis, Maximiane, tibi.

Et Ihesus filius Sirac dixit, "Ubi fuerit superbìa, ibi contumelia; ubiautem humilitas, ibi et sapientia." Et Salomon in Proverbiis ait, "Intersuperbos semper iurgia sunt; qui autem agunt cuncta

cum consilio, reguntur sapientia." Sicut autem Dominus angelos superbientes de celo proiecit, sic quoque superbos atque perversos procul a te repellas, ut ab eorum superbiavel pravitate non contamineris. Nam ut ait filius Syrac, "Qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea, et qui communicaverit superbo induet superbiam." Et eciam idem sapiens dixit de superbiorum divitium sociate:

Ditiori ne fueris socius. Quid communicaverit cacabum ad ollam? Quandoenim se colliserint, confringetur. Dives iniuste egit, et fremebit; pauperautem Iesus tacebit. Si largitus fueris, absument te; et si non habueris, relinquet te. Si habueris, convivet tecum, et evacuabit te; et ipse nondolebit super te. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, et subridens spem dabit, narrans tibi bona, et dicens: Quid est opus tibi? Et confundette in cibis suis, donec te exinaniat bis et ter; et in novissimo deridette, et postea videris delinquet te, et capud suum movebit a te. Humiliare Deo, et expecta manus eius. Attende ne seductus in stultitiam humiliaris. Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducatus. A potentiore, discede; ex hoc enim magis te advocabit. Ne improbus sis, ne impinguaris; et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem. Ne retineas ex equo loqui cum illo, et ne credas multis verbis illius; ex multa enim loqua temptabit te, et subridens interrogabit te. Cave tibi, et attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulas; dilige Deum, et invoca illum in salute tua. Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi. Sicut communicabit lupus agno aliquando, sic communicatio peccatorum iusto. Que communicatio est sancto homini ad canem? Venationis leonis honager in heremo; sic pascua sunt divitium pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic execratio divitium pauper. Dives commotus confirmatur ab amicis; humiliis autem cum ceciderit, expellit uret a notis. Diviti decepto multi recuperatores, locutus est superbe, et iustificaverunt illum. Humilis deceptus est, insuper et arguitur; locutus est sensate, et non est datum ei locus. Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducent. Pauper locutus est, et dicunt: Quis est? Et si offenderit, subvertent illum.

Et Salomon in Proverbiis dixit,

Eciā proximo suo pauper odiosus erit, amici vero divitium multi. Divitieenim addunt amicos plurimos; a paupere autem et hī quos habuit separantur. Et multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuenti. Fratres hominis pauperis oderunt eum; insuper et amici recesserunt ab eo procul.

Et iterum, "Dives imperat pauperibus, et qui accipit mutuum servus est fenerantis." Et eciam alibi de societate et clientela et consuetudine potentum est divitium superbiorum et ducum vitanda, a multis sapientibus instruimus. Nam dixit quidam philosophus, "Rex est similis igni: cui si nimis admotus fueris, cremaberis; si ex toto remotus, frigebis." Et filius Syrac dixit, "A viro habente potestatem occidendi, longe esto. Scito enim quoniam in medio laqueorum eius ingredieris." Et aliis philosophus dixit, "Si in clientelam potentissimi hominis deveneris, aut veritas aut amicitia perdenda est."

Nam huiusmodi magnates et potentes sive duces aut imperant aut vi compellunt aut rogando faciunt quod tantumdem valet. Unde quidam sapiens dixit,

Est orare ducum species violenta iubendi,  
Et quasi mandato supplicat esse potens.

Et eciam quidam sapiens dixit, "Ubi pauper divitem imitari ceperit, undedici consuevit, miseri." Nam ut ait Tullius,

Huiusmodi divites se honoratos et beatos putant. Hii nec obligari quidem beneficio volunt quando eciam beneficium se arbitrantur dedisse. Cum ipsi magnum quamvis aliquid acceperunt atque et a se aut postulari aut expectari, aliquid suscipiantur.

Et ita predictis rationibus non est multum utendum nec morandum cum

huiusmodipotentibus, et maxime cum regibus. Nam et quidam philosophus dixit, "Nichilpeius contingit homini quam diu regi servire et nichil boni acquirere." Et ideo precepit ne quisquam nimis moretur in servitio regis. Et aliusphilosophus dixit, "Qui servit regi ut ita dicam sine fortunio, et hocseculum perdit et aliud." Eligas ergo bonos et humilos cum quibus utariset bonus eris. Unde propheta dixit, "Cum sancto sanctus eris, et cum viroinnocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris."

[Caput VI.]

De amicitia loquacis vel lingosi.

Amor eciam tuus non te ita decipiatur, ut in amicitiam loquacis vel lingosivel fatui te trahat. Ideo autem amicitia illorum est vitanda, quia "inmultiloquio non dest peccatum." De lingoso per prophetam dicitur, "Virlingosus non dirigetur in terra." Et Ihesus filius Sirac dixit, "Terribilisest in civitate sua homo lingosus, et temerarius in verbo suo odibilisest." Et alibi, "Fatuo non erit amicus, et non erit gratia in bonis illius." Et alibi, "Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam." Et alibi idem dixit, "Cum viro lingoso ne loquaris, nec in igne illius struas ligna." Si enimcum illis loqui non debes; illorum amicitiam retinere non potes. Et alibiidem dicit, "Ne cum fatuis consilium habeas, non enim poterunt diligere, nisi que ipsis placent." Et scito quod fatui dicuntur qui multa fantur, et superflua dicunt, sic dicti a for, faris vel fare, fatur. Et eciam Tulliusdixit, "Ciniquorum tota ratio abicienda est." Cinos graece, latinedicitur canis. Inde cinici dicuntur latrantes ut canes. Etideo cum talibus contendere non debemus, quia non intendunt rationi. "Namsicut ignis, quanto magis ligna suscepert, semper in maiorem flamمام erigitur, ita malus homo, quanto magis rationem audierit, semper in maiorem malitiamexcitatur." Quare Cato dixit,

Contra verbosos noli contendere verbis:

Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

Sed verba loquacium audire tacitus et prospicere debes, et ab illis eciamdiscere. Ait enim Seneca, "Equo animo audienda sunt inproborum convitia." Unde Cato dixit,

Prospito cuncta tacitus, quod quisque loquatur:

Sermo hominum mores celat, simul indicat idem.

[Caput VII.]

De amicitia iracundi hominis.

Amicitiam autem iracundi hominis non desideres, quia illam nullo modohabere potes. Ut ait sapiens, "Homini iracundo nullus erit amicus, nec in bonis illius erit gratia." Et alibi, "Ne sis velox ad irascendum, quia in sinu stulti requiescit." Et alibi Salomon ait, "Noli esse amicushomini iracundo, neque ambules cum viro furioso; ne forte discas semitaseius, et sumas scandalum anime tue." Et alibi, "Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas." Homo enim extracorpus suum est cum irascitur in tantum ut dicatur: "Nulli irascenti irasua videtur iniusta." Et beatus Prosper dixit,

Nemo sue mentis motus non extimat equos,

Quodcumque voluint homines, se bene velle putant.

Ira dicitur ab ur quod est calor, et diffinitur ita: Ira est fervor animiab interioribus ad

exteriora prorumpens, ob illatam sibi iniuriam vindictamquerens. Quare iratus consilium spernit; inde eciam dici consuevit: "Iratuseciam facinus consilium putat." Unde eciam philosophus dixit, "Iratum brevitervites, et inimicum diu." Et Ovidius epistolarum dixit,

Quelbet iratis ipse dat arma dolor.

Et debes vitare iracundiam tam in te quam in alio. Nam, "Iracundiam quivincit, maximum superat hostem." Unde idem Ovidius dixit,

Vince animos iramque tuam, qui cetera vincis.

Et aliis dixit, "Lex videt iratum, iratus non videt illam." Respicere enim nil assuevit iracundia," ut Socrates. Et Dominus in evangelio dixit, "Qui irascitur fratri suo, reus erit iuditio." Et Apostolus ait, "Ira enim viriustitiam Dei non operatur." Et Cato dixit,

Iratus de re incerta contendere noli:

Ira impedit animum, ne possit cernere verum.

Et Seneca dixit, "Iratus nil nisi criminis loquitur." Quare ait, "Finem dare ire initium est sapientie." Et alibi idem dixit, "Legem solet oblivisci iracundia."

Et nota quod iratus semper putat se plus posse facere quam possit, etideo superat posse suum, et inmoratur. Quare Seneca dixit, "Iratus semper putat posse quam possit." Et alibi dixit,

Qui plus posse putat, sua quam natura ministrat,

Posse suum superans, se minus ipse potest.

Quare Tullius dixit, "Ira procul absit, cum qua nil recte fieri, nil considerari potest. Que enim aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt nec hiis, qui adsunt, approbari." Et Pitagoras dixit, "Quominus presserisiram, ob hoc ab ira magis premeris; tunc enim nobis incipimus irasci, cum aliis desivimus; finis namque ire initium est penitentie." Unde Socrates dixit, "Iracundus cum irasci desierit, tunc irascitur sibi." Et certe vitare debes quemlibet iratum et maxime potentem. Nam ut ait Seneca, "Fulmen est ubi cum potestate habitat iracundia." Nec eciam irasci debes potenti. Namut idem ait, "Potenti irasci periculum est." Quare si potens te lesurit, potius sustineas quam cum eo irascaris; et fac quod Cato dixit:

Cede locum lese fortune, cede potenti:

Ledere qui potuit, aliquando prodesse valebit.

Potentioribus enim pares esse non possumus. Similiter vitare debes stultumiratum. Nam ut ait Salomon, "Grave est saxum et honerosa arena, sed irastulti utroque gravior. Ira certe non habet misericordiam nec erumpens furor; et impetum concititi ferre quis poterit?"

Sic et ira probi hominis periculosa est. Unde Seneca dixit, "Gravissima est hominis probi iracundia." Quid idea accidit quia probus homo proposuit non irasci. Et ut ait Cassiodorus, "Gravius irascitur qui contra propositum commovetur." Et si forte iracundus vel iratus in aliquo te lesurit, non sis facilis ad indignacionem contra illum. Nam ut ait Salomon, "Vir iracundus provocat rixas, et qui ad indignationem facilis est erit ad peccata proclivior." Et in tantum nocet iracundia, quia eciam dies hominis minuit. Unde Ihesus filius Sirac dixit, "Zelus et iracundia minuent dies, et ante tempus adducet senectam cogitatum." Sed licet ira taliter prohibeatur, quandoque tamen bene conceditur, ut ait propheta: "Irascimini, et nolite peccare." Et alibi dicitur, "Non occidat sol super iracundiam vestram." Et eciam Seneca dixit, "Bonum ad virum cito moritur iracundia."

Et in tantum conceditur ira, ut quandoque melior risu censeatur. Undesapiens dixit, "Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis." Risus tamen pro maiori parte malus censetur. Undesapiens dixit, "Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat." Vix enim aut numquam nisi pro stultitia ridere potest homo. Unde consilium ridentium te timere non

oportet, statim enim cum rides plures consiliantesridere scire poteris quod de stultia loquuntur. Unde Ihesus filius Siracdixit, "Fatuus in rixu exaltabit vocem suam, vir autem sapiens vix taciteridebit."

[Caput VIII.]

De amicitia malorum hominum vitanda.

Dixi generaliter omnium malorum hominum amicitiam districtam esse penitusevitandam. Nam per talium amicitiam et continuam conversationem boni morescorrumpuntur. Et efficitur homo imperitus, luxuriosus, et seditiosus; et talia vitia acquirit que sunt penitus fugiendas, ut ait sapiens: "Fugienda autem sunt et modis omnibus igne ac ferro succidenda, langor a corde, imperitia ab animo, luxuria a ventre, seditio a civite, a domo discordia."

De luxuria quidam philosophus dixit, "Nichil tam mortiferrum est inhumanum genus quam luxuria." Nam luxus sive luxuria corpus destruit, opes annichilat, animam necat, vim eripit, lumina orbat, vocem acerbat. Undeversus,

Luxus, corpus, opes, animam, vim, lumina, vocem  
Destruit, anichilat, necat, eripit, orbat, acerbat.

Et eciam Tullius De Senectute dixit, "Libidinosa intemperans adolescentiae effetum corpus tradit senectuti." Et de seditione dixit quidam, "Nichil mortiferum in civitate quam seditio; nam seditio civium occasio est hostium."

Et certe sicut talia vitia sunt fugienda, ita et mali sunt fugiendiper quos talia vitia acquiruntur. Nam sicut per consuetudinem leprosi homo quandoque leprosus efficitur et per pecus morbosum totus grex inficitur per modicum fermenti tota massa corruptitur, ita per assiduam conversationem atque amicitiam malorum hominum efficitur homo protervus, gulosus, cupidus, libidinosus, latro, fur, mendax, superbus, avarus, et ita omnia mala vita acquirit ut simul cum illis cadat in ruinam. Unde quidam philosophus dixit, "Si videris quemlibet malis operibus pergravatum, ne intromittas, quia qui pendulum solverit, super ipsum ruina erit." Et aliis philosophus dixit, "Quisquis inique gentis consortio fruitur, procul dubio mortis in mente penus lucrat." Et certe non solum mala societas, sed eciam mala vicinitas est vitanda. Nam vulgo dicitur, "Qui habet malum vicinum habet malum matutinum." Quare quidam philosophus dixit, "Non emas domum antequam cognoscas vicinum. Et si ante habueris domum quam iuxta te hospitaretur malus vicinus, prius vendas domum quam maceras iuxta malum vicinum." De predictis eciam beatus Paulus in epistola ad Corinthis dixit,

Ne commisceamini fornicariis: et non utique fornicariis huius mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut ydolis servientibus: alioquin debueratis iam de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri: si isqui frater inter vos nominatur, est fornicator, aut avarus, aut ydolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere.

Et in fine illius capituli subiunxit, "Auferte malum ex vobis ipsis." Eta libi idem Apostolus in epistola secunda ad Timotheum dixit,

Hoc autem scito, quod in novissimis temporibus instabunt tempora periculosa: et erunt

homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasfemi, et parentibus non obedientes, ingrati, scelerati, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, et immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei: habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos devita.

Et eciam Ysoppus dixit,  
Discat ad hoc mitis cupidi dum contempnere litis.  
Equus et est si quis caveat sit ut hospes inquis.  
Ne simul ut cumque perimi contingat utrumque;  
Suppliciis dignis profectis forte malignis.

Nec desideres laudari a malis hominibus. Quia ut dixit Seneca, "Tam turpe est laudari a turpibus quam ob turpia laudari." Letior esto quotiens displices malis, et malorum de te extimationes malas tuam imputa gloriam. "Magna enim dementia est vereri ne infameris ab infamibus." Et nihil est stultius homine verba metuente. Et alibi dixit idem, "Quid letaris, quod ab hominibus laudaris, quos non potes ipse laudare?" Quare eciam ait, "Qualis quisques cit scies, si quemadmodum laudes quemadmodum laudetur aspexeris." Unde Martialis Cocus dixit,

Nullum credo decus laudari a turpibus, Herme,  
Sed nec laudari ob turpia credo decus.  
Et alibi idem dixit,  
Contemptum stulti contempnere, Didime, laus est,  
Et contempti a stulto dedecus esse nego.

Et aliis sapiens dixit, "Laudent te boni, oppinentur de te mala sed malis; omnibus enim displicere malis laudabile est." Et aliis dixit, "Ne igitur glorieris in laude leccatoris, cuius laus est tibi vituperium et vituperium laus." Quare dixit, "Ne te associes leccatori, cuius societas est tibi de decus." Et Seneca dixit, "Conciliari nisi turpitudine amor turpium non potest."

Nam ut vera loquamus per consuetudinem et amicitiam talium, eciam bonus homo creditur malus, et perinde habetur ac si in veritate malus esset. Nam ut dixit quidam philosophus, "Vicem veri optinet quod falso creditur." Sic et e contrario, "Veritas que non creditur pro mendacio reputatur." Cum hiis ergo conversare qui te meliorem facturi sunt. Illos admitte quos tupotes facere meliores. "Sciens quod nulla res magis animos honesta induit, dubiosque et in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio," ut Seneca epistolarum dixit. Qui eciam ait, "Habet eciam in se generosus animus, quod incitat ad honesta."

Ut ergo animus tuus incitat ad honesta, semper fugias malorum hominum societatem et conversationem, atque suspiciosi loci existentiam, semper querendo homines et loca cum quibus et in quibus valeas erudiri, tua prudentia valeat cognosci atque merito collaudari. Ait enim Cassiodorus, "Queraterudit ubi possit existere gloriósus." Et iterum, "Prudens frequentiam non respuit hominum in qua se noverit esse laudandum. Alioquin in virtutibus fama tollitur, si earum in hominibus merita nesciantur."

[Caput IX.]

De multiplice utilitate amicorum.

Et nota quod in habendis et acquirendis et retinendis amicis magna et multiplex est utilitas.

Corpus enim hominis sine amicitia pro mortuo reputatur, unde dicitur: "Qualis est sine anima corpus, talis est sine amicis homo." Amicorum ergo suffragio corpus mortuum vivificare dicitur. Per amicos eciam vita iocundatur, et sine amicis non potest esse iocunda. Unde Tullius dixit, "Et si ea permaneant, que dicuntur dona fortune, vita tamen inulta et deserta ab amicis non potest esse iocunda." Et amicorum utilitas tanta est, ut auro vel argento bonitas fidelis amici nullatenus comparetur. Undesapiens dixit, "Amico fideli nulla est comparatio, nec est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei eius." Et alibi eciam dixit,

Amicus si permanerit fixus, erit tibi quasi coequalis, et in domesticis suis fiducialiter ager attende. Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum invenit thesaurum. Amicus fidelis medicamentum vite et immortalitatis; et qui metuit Dominum inveniet illum.

Unde Cato ait,

Auxilium a notis petito si forte laboras;

Nec quisquam melior medicus quam fidus amicus.

Et est tanta utilitas in acquirendis amicis ut eciam regnum amicis non valeat comparari. Ut Cato ait,

Utilius est regno meritis acquirere amicos.

Per amicos eciam vita amicorum procuratur, sicut Palades curavit Horestem. Hic quoque amicitie non levus usus erit. Nam ut ait sapiens, "Nichil est dulcissimum quam habere amicum, cum quod tamquam cum te ipso loquaris." Unde Tullius De Amicitia dixit,

Ego tantum vos hortari possum, ut amicitiam anteponatis omnibus humanis rebus; nichil est enim tam nature aptum, tam conveniens ad res secundas vel adversas. Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse.

Quare idem Tullius postea subiunxit, "Solem e mundo tollere videntur, quia amicitiam e vita tollunt, quia nichil a diis immortalibus melius habemus, et nichil iocundius." Et iterum idem ait, "Que tamen res humanae fragilem aduceque sunt, semper aliqui acquirendi sunt quos vere diligamus cum caritate et benivolentia; qua sublata, omnis est e vita sublata iocunditas. Per amicorum eciam multitudinem et civium dilectionem ita munitur et defenditur, ut ab aliquo nequeat expugnari. Unde Seneca dixit, "Unum est inexpugnabile munimentum: amor civium." Per multam eciam amicorum consuetudinem et dilectionem opes conservantur et retinentur, sicut nulle opes odiis multorum obsistere possunt. Unde Tullius De Officiis dixit,

Omnium autem rerum nec quicquam est aptius ad opes tuendas et retinendas quam diligi, et nichil est alienius quam timeri. Preclare enim homines, que metuunt, oderunt; quod quisque autem odit, perisse expetit. Multorum autem odiis nullas opes obsistere posse, etsi antea ignotum fuerat, modo autem cognitum.

Non ergo credas amicum fidelem per metum posse acquiri. Nam ut dixit philosophus, "Nemo ei satis fidus est, quem metuit." Unde idem Tullius dixit,

Malus custos diuturnitas est metus, contraque benivolentia fidelis vel ad perpetuitatem. Qui vero in libera civitate ita se instituunt, ut metuantur, hiis nihil potest esse dementius. Etenim qui se metui volunt: a quibus metuuntur, eosdem ut metuantur ipsi necesse est.

Blanditia autem et non imperio vis crescit amoris. Unde Marcialis Cucus dixit,

Toruus et hore minax nos, Tite, possitis amare:

Invitus nemo coactus amat.

Blanditia, non imperio, vis crescit amoris.

Vacca quidem taurum, sed et ipsa leona leonem

Iratos fugiunt, sed cupiunt placidos;

Dilige nos omnes, ut ameris ab omnibus unus.

Querit amor pariles, dissimiles odium.

Et non solum amicitia per metum et timorem non acquiritur vel retinetur, sed eciam

imperium premente metu perditur. Unde Tullius dixit, "Nulla vis imperii tanta est, que premente metu possit esse diurna." Et alius dixit, "Multos timere debet, quem multi timent." Et male imperando firmum imperium amittitur. Et Seneca epistolarum dixit, "Nemo terribilis potest esse secure." Et iterum, "Magna securitatis portio est nichil inique facere: quia nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam autem fidutiam." Multos ergo studeas acquirere amicos non metu, sed merito, et pacificos tantum.

[Caput X.]

De consiliis et consiliariis.

Non tantum cum omnibus consilium habeas, sed unum de mille eligas consiliarium. Nam ut dixit sapiens, "Multi pacifici sint tibi, et consiliarius unus demille." Periculum est enim cuilibet amico sua secreta consilia pandere. Unde quidam sapiens dixit, "Quod secretum est, nemini dicas." Alius verodixit, "Vix extimes ab uno posse celari secretum." Et alius dixit, "Consilium abs conditum quasi in carcere tuo est retrusum; revelatum te in carceres suo tenet ligatum." Quare dixit, "Noli consilium tuum omni revelare homini. Qui enim consilium suum in corde retinet, sui iuris est melius eligere." Nam pulcrius est tacere quam ut taceat secretum sibi commissum alium rogare. Ait enim Seneca, "Sic imperasti, ut taceres, quomodo ab alio silentium queris?" Verum quia ut ait Cassiodorus, "Consilium quippe immitari detractat in providus."

Tu provide secreta tua presentia et futura cum amicis probatis atque fidelibus tracta, ut ab eis consilium habeas. Nam ut Cato ait,

Consilium archanum tacito committe sodali.

Corporis auxilium medico committe fideli.

Et eciam quidam philosophus dixit, "Cave tibi a consilio illius, a quo petis consilium, ut sit tibi fidelis et probatus." Et Salomon sapiens ait, "Unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis animadulcoratur." Et alibi eciam dixit, "Omnia cum consilio fac, et non penitebis." Cum consilio dico sapientium, re fidelium, et probatorum, et maxime senum, et non cum consilio stultorum neque iuvenum. Stulti enim stulta diligunt, et suam stultitiam trahunt. Unde sapiens dixit, "Non recipit stultus verbapudentie, nisi ea dixeris que versantur in corde suo." Et in proverbio dicitur,

Quisquis suo sensu sapiens sibi stultus habetur.

Iuvenes autem maturum sensum non habent, et iuvenilia diligunt, et eis inherenter. Non enim potest in eis sucus diurnus haberi, qui minus celeriter sunt maturitatem adepti. Inde eciam Panfilus dixit,

Gaudia semper amat et iuvenilia verba iuventus.

"Ve tibi, terra, cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt." Quare Marcialis Cucus dixit cuidam suo amico qui vocabatur Melibeus,

Consilio iuvenum fidis, Melibee, ruinam

Expectare potes, dum sine consilio es.

Pannorum veterum facile contempnitur usus:

Non sic consilium, Postume, sperne senum.

Nam ut ait Iob, "In antiquis est sapientia, et in longo tempore prudentia." Nam ut ait Cassiodorus, "Illi prudentiores semper sunt habiti, qui multorum hominum conversationibus

probantur erudit." Quare idem ait, "Senes ipsiconsiliis sapientiam discunt." Et iterum, "Cum multa trahis ab antiquis, meruisti placere de propriis." Et Tullius De Senectute ait, "Non viribus, non velocitatibus aut celeritate corporum res magne geruntur, sed consilio, auctoritate et scientia, quibus non modo orbari, sed eciam augeri senectus solet."

Et non solum unum consilium, sed eciam multa cum eis facere debes, non subita, nec festinata. Nam ut sapiens dixit, "Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia." Et Salomon in Proverbiis dixit, "Dissipantur cogitationes ubi non erit consilium: ubi vero plures consiliarii sunt, confirmantur." Consilia intelligo bona nam facient iniquissimum consilium super ipsum devoluerunt, et non cognoscet unde veniat illi. Ut Ihesus filius Sirac dixit, "Consilia non festinata dixi, quia duo sunt contraria consilio, festinantia et ira." Et alibi eciam sapiens dixit de consiliis: "Quod diu tractaveris, id puta rectissimum." "Velox enim consilium sequitur penitentia." Et alibi, "Deliberare utilia, mora est tutissima." Et alibi, "Consilio melius vinces quam iracundia." Seneca eciam dixit, "In consulta temeritas nescit expectare consilium." Philosophus eciam dixit, "Non credas stultum cum re mutare consilium." Quare Seneca, "Consilium tuum si audierit hostis, consilii dispositionem permutes."

Nec credas omni quod audieris consilio, donec prius an sit utile probatum fuerit in aliquo, ut quidam philosophus dixit: "Nec credas consilio illius qui secreto aliud consulit et palam aliud se velle ostendit." Ait enim Cassiodorus, "Lesionis genus est occulte consulere, et alium velle monstrare." Nec credas mali hominis consilio. Scriptum est enim, "Malus a se nunquam bonum consilium refert." Et nota consilium non esse capiendum quod mutar non possit. Nam ut ait quidam sapiens, "Malum est consilium, quod mutar non potest." Et nota quod "semper consilium tunc deest, quando maxime opus est," ut quidam philosophus dixit. Quare in consiliis non est cum festinantia neque cum ira procedendum. Et licet dixerim duo esse contraria consilio, videlicet, festinantiam et iram, Tullius autem De Senectute additae tertium, scilicet, voluptatem, dicens: "Impedit enim consilium voluptas rationi inimica, ac menti ut ita dicam prestringit oculos, nec habet ullum cum virtute commertium." Et in consiliis vitare debes assentatores maxime in secundissimis rebus. Unde Tullius dixit eciam:

In secundissimis rebus maxime utendum est consiliis amicorum, quem a maior eciam quam ante tribuenda est auctoritas. Hiisdem temporibus cavendum est, ne absentatoribus patefaciamus aures, ne adulari nos sinamus: in quo falli facile est. Tales enim nos esse putamus, ut iure laudemur: ex quonascuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinioneibus turpiter irridetur et in maximis versantur erroribus.

Unde sciendum est, "Nullam inimicitiam pestem maiorem esse quam adulantium blanditiam, assentationem." Sed "licet perniciosa sit assentatio, tamen nocere nemini potest, nisi ei, qui eam recipit atque ea delectatur. Ita sit, ut hiis absentatoribus patefaciat aures suas maxime qui ipse sibi assentetur et se maxime ipse delectet." Inde eciam Cato dixit,

Cum te aliquis laudat, iudex tuus esse memento:

Plus aliis de te, quam tu tibi, credere noli.

Et Seneca in epistolis dixit, "Multo magis ad rem pertinet, qualis tibi videaris, quam qualis aliis." Et alibi, "Intus te considera: non qualissis, aliis credas." Sapientis enim est "malle sibi placere quam populo," ut Seneca dixit.

Et in consiliis non movearis ad verba composita. Dixit Seneca in epistolis, "Ad rem movearis, non ad verba composita." Nam oratio eius qui veritatem operam dat incomposita debet esse et simplex. Dux secundum Tullium, "In secundissimis rebus maxime utendum est consilio." Inde

eciam Seneca De Formula Honeste Vite dixit, "Tunc consilia tibi salutaria advoca, cum tibi alludit vite prosperitas: tunc te velud in lubrico retinebis ac sistes, nec tibi dabis impetus liberos, qua eundum sit et quo usque." Et licet multum sapiens fueris, tue scientie non inhoberis, sed cum consilio sapientiam ab alio investigabis. Ait enim Cassiodorus, "Sapientiam querit in alteropenes quem est scientie magnitudo."

Dubitare enim et a sapientibus consilium petere non est verecundum nec inutile. Scriptum est enim, "Dubitare de singulis non est inutile." Eteam in Contemptu Mundi scripsit Innocencius papa,

Qui magis intelligit, magis dubitat; et ille videtur plus sibi sapere, qui plus desipit. Pars ergo scientie est scire, quod nescias. Vix est enim quicquam tam vile, vix tam facile, quod ad plenum sciatur, comprehendatur ad liquidum, nisi forsitan illud perfecte sciatur, quod nichil scitur perfecte.

Ideo autem dixi supra dixi de consiliis et factis presentibus et futuris consilium capiendum, quia de preteritis factis atque secretis de quibus consilium capi non potest, non debes facere mentionem. Unde filius Siracdixit, "Amico et inimico noli enarrare sensum tuum, et, si est tibi delictum, noli denudare. Audiet te et respiciet te, et quasi defendens peccatum tuum subridet te." Nam dicit lex, "Facte autem res nulla constitutiae infactefieri possunt." Unde si consilium inde haberi non potest, nec utilitastrahi nemini dicere procures. Nam ut ait Seneca, "Post calamitatem memoria alia est calamitas." Et maxime ubi memoria calamitatis vel preteriti facti potest suscitare malitiam. Unde Cato dixit,

Litis preterite noli maledicta referre:

Post inimicitias iram meminisse malorum est.

Et ideo silendo penitus ea conmemorare nulli debes, et maxime mulieri vel hebrioso. Nam ut dixit philosophus, "Garulitas mulierum id solum novit celare, quod nescit." Et Salomon dixit, "Nullum secretum ubi regnat ebrietas."

Sacerdoti tua archana atque secreta penitentie causa pandere et manifestare debes. Ut sanctus Iacobus in epistola prima dixit, "Confitemni alterutrum peccata vestra." Deficiente autem sacerdote eciam alij confiteri debes.

## [Caput XI.]

### De probatione amicorum.

Licet autem in habendis amicis ut dixi magna utilitas sit, prestitam velox sis sic in acquirendis amicis nullius est amicitie ante probationem te constringere debes. Ut ait Martialis Cocus cuidam amico suo qui vocabatur Crisippus:

Antequam ames, Crisippe, proba; sed amare probatum  
Cura, rotulum illum pectore suscipias.  
Sepe diuque suo dignum censem amorem  
Pertractat sapiens sic amat exibitum.  
Et Ovidius dixit,  
Quale sit id, quod amas, celeri circumspice mente

Et tua lesuro subtrahe colla iugo.

Et sapiens dixit, "Si possides amicum, in temptatione posside. Est enim amicus secundum sua tempora; in tempora autem tribulationis non permanebit." Et propheta, volens amicus Dei fieri, et sciens amicos probatos meliores alii fore, dixit, "Proba me et tempta me; ure renes meos et cor meum." Et eciam beatus Iohannes in epistola sua dixit, "Karissimi, nolite omnicredere spiritui, sed probate spiritus si ex Deo sint." Et eciam Apostolus in epistola sua ad Tesalonicenses dixit, "Omnia probate: quod bonum est tenete. Ab omni specie mali abstinetis vos." Et sapiens dixit, "Qui credit cito, levis est in corde et minorabitur;" "Facilitas nimia partem stultitievergit." Et aliis philosophus dixit, "Ne laudes amicum, donec probaveris eum." Et iterum alibi dixit propter amicos non probatos: "Provide tibi semel de inimicis, et milies de amicus, quia forsitan quandoque amicus fiet inimicus, et sic levius poterit perquirere dampnum tuum." Et Seneca dixit, "Tu omnia cum amico libera, sed de ipso prius."

Eligas ergo amicos probatos qui tibi fideles esse possint. Et eos uno affectu non uno habeas merito, et tales amicos elige quos non pudeat elegisse. Ait enim Seneca, "Amare sic incipe, tamquam non liceat desinere."

#### [Caput XII.]

Que facere debes pro amicis et que errogare et quomodo debes cum amicis vivere et de lege amicitie.

Probato autem amico atque temptato si illum fidelem valde inveneris, ita pectore suscipias eum ut pro eo facias quecumque pro amico commode fieri possunt, videlicet honeste ita quod Deum non offendas, nec tuam conscientiam ledas. Peccatum enim pro amico facere non debes. Nam dixit Tullius De Amicitia, "Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris;" et maxime in re turpi ubi duplex peccatum est. Ait enim Seneca, "In turpore peccare bis est delinquere." Nec eciam debes amicum defendere in peccato, ne tibi crimen pares. Ait enim Seneca, "Nocentes qui defendit, sibi crimen parat." Et iterum, "Socius fit culpe, qui nocentem iuvat." Nisi forte pro illius salute hoc faceret. Ait enim idem, "Nichil turpe dicas pro salutis remedio." Innoxie igitur amicum defendere debes ut proprie defensor dicaris. Nam ut ait Cassiodorus, "Ille proprius defensor est dicendus, qui defendit innoxie."

Alioquin si cum turpitudine et mendacio cum defenderes, amicitia nonduraret. Nam ut dixit Tullius De Amicitia, "Difficile est amicitiam durare sive manere, si a virtute defeceris." Amici enim virtus si feras, facis tua. Ideo autem dixi commode quia ut lex dicit, "Ea demum fieri posse intelliguntur que commode fieri possunt." Et eciam alibi dici consuevit, "Age sic alienum ut tuum non obliviscaris negotium."

Amicis enim ita prodesse debemus, ut nobis non noceamus, et ideo dixi honeste. Quia ut ait Tullius, "Si omnia facienda sunt, eciam in honestaque amici velint, non amicitie tales, sed et coniurationes putande sunt." Unde facere debes pro amico quod honestum sit, et denegare quod non rectum sit. Hec igitur lex in amicitiam sensuatur ut nec rogemos res turpes, neque faciamus rogatu, et ab amicis honesta petamus. Amicorum causa honesta faciamus, studium semper adsit, cunctatio toto

absit. Consilium verum dare gaudemuslibere. Hec est, inquam, societas, in qua omnia sunt que putant hominesexpetenda: honestas, gloria, tranquillitas, atque iocunditas; ut cum hecadsint, beata vita sit, cum sine hiis esse non possint, quod cum optimummaximumque sit. Si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine quanec amicitiam, nec ullam rem expetendam consequi possumus. Ea vero neglecta, qui se amicos habere arbitrantur tunc denique rassem sentiunt cum eos aliquisgravis casus experiri contingit; et eciam verecundari debent amici ad inviceminhonesta vel turpia petere. Nam, "Maximum ornementum amicitie tollit, qui ex ea tollit verecundiam," ut Tullius dixit. Quare eciam ait, "Maximeautem perturbantur officia in amicis; quibus et non tribuere, non rectepossis, et tribuere, quod non sit equum, contra officium est."

Electis autem amicis, ita eos diligas ut illi tua amicitia non careant. Multos enim vidi qui non amicis, sed amicitia caruerunt. Et illos tibicoequales extimes ita quod illis tamquam tibi ipsi credas, et te et tuaillis tamquam tibi ipsi credas, et te et tua illis securiter et sine suspicione committas. Ait enim Cassiodorus, "Eorum secura substantia est, que committiturapprobatis." Ex quo enim illos approbaveris, de illis mala suspicari non debes. Ait enim Cato,

Suspectus caveas, ne sis miser omnibus horis,  
Nam timidis et suspectis aptissima mors est.

Si enim amici invicem sibi non crederent, veri amici non essent. Nam sialiquem amicum extimas, cui non tantumdem credas ut tibi, valde erras et non satis nosti vim amicitie. Unde Tullius dixit, "Nichil in amicitia fictum, nichilque simulatum esse debet." Nam facta omnia citius quam flosculi occidunt, nec quicquam simulatum potest esse diuturnum, et nichil est dulcior quam habere cum quo audeas omnia loqui ut tecum, et nichil est amabilius, nichilque pulchrius quam morum similitudo bonorum. Unde Tullius subiunxit, "Omniumsocietatum nulla prestantior est, nulla firmior, quam cum viri boni moribussimiles sunt familiaritate coniuncti." Inde Salustius eciam dixit, "Idem velle et idem nolle, ea demum firma amicitia est." "Sic tamen loqui cum amicis debes, tanquam Deus audiat; sic vero vivere cum hominibus, tamquam Deus videat," ut Seneca epistolarum dixit. "Nichil est tam opertum, ut non reveletur: aut secretum, quod non sciatur," ut Matheus in evangelio Domini dixit. Unde vulgo dici consuevit, "Sub nive quanta latent in longotempore parent." Et eciam Tullius dixit, "Honesta enim bonis viris, non occulta queruntur." Nec cuicquam audebit vir bonus velle quod non audeat predicare palam et certe curandum est maxime ut eos cum quibus sermonem conferrimus, et vereri et diligere videamus. Ut idem Tullius dixit,

Et illam veram amicitiam extimes quam non spes, non timor, non utilitassine causa divellit, illam cum qua homines moriuntur, et pro qua moriuntur. Nichil enim est quod non tolerat qui perfecte diligit. Vere tamen amicitiedifficile reperiuntur in hiis qui honoribus reque publica versantur. In foro enim plurimum posse invidiosa res est et brevis.

Ut Seneca in epistolis dixit, "Et difficile est in re prospera amicos probare, in adversa facile." Nam ut ait Seneca, "Amici an nomen habeas, calamitasaperit." Quare alibi idem dixit, "Amico fortunato vocatus, et infortunato invocatus esto." Et aliud dixit, "Multi sunt dum muneraunt amici, sed in necessitatibus pauci."

Nam hic est vere amicus, qui te adiuvat, cum tibi seculum deficit. Amicum quoque tuum taliter diligas, ut iusta causa in te sit quare ab illo diligaris. Nam digni sunt amicitia quibus inest causa cur diligentur, ut Tullius De Amicitia dixit: "Si enim non amaveris, nullus te amabit." Unde Marcialus Cocus dixit,

Miraris quod nullus amat te, Ceciliiane,  
Tu quoque amas nullum; dilige, carus eris.

Tu ergo primum exibe te bonum et sic quere alterum tui similem. "Plerique enim perverse, ne dicam impudenter, habere talem amicum volunt, quales ipsi non possunt. Queque ipsi non tribuunt amicis, hec ab eis desiderant," ut Tullius dixit.

Et nota quod inter amicos amicitias immortales esse oportet. Nam dixit sapiens, "Cum amicis rationes breves, amicitias longas oportet." Unde Tullius dixit, "Verum esse, illud quod dicitur, ĀŽ Multos modios salis simul edendos esse, ut amicie munus expletum sit.ĀŒ" Et nota quod qui perfecte diligunt affectu, amico facile irasci non potest. Unde dici consuevit, "Amantium redintegratio est amoris;" "amans enim multa sibi mentitur iratus." Et eciam quidam sapiens dixit, "Amici ius iurandum penam non habet." Et alius dixit, "Amans sicut fax exigitando magis exardescit." Et eciam Ovidius iratus cum quadam dixit,

Odero, si potero; invitus amabo:  
Nec iuga taurus amat; que tamen odit, habet.  
Sic ergo nec sine te nec tecum vivere possum  
Et videor voti nescius esse mei.

Et nota quod a maiori perfecto sentencie tempus non animus facit, non enim in potestate animi deponere amorem. Quare Seneca dixit, "Amor animi arbitriosumitur, non imponitur."

Nec credas malum de amico tuo, nisi experimento id manifeste cognoveris. Sed si aliquis de amico tuo male loquitur, responde ut philosophus dixit: "Ut tute lingue, sic ego mearum dominus sum aurium." Alius autem maledicentem respondet: "Tu inquit maledicere didicisti; ego scientia teste didicimaledicta contempnere." Nec inter duos amicos tuos iudicaveris, nisi forte discussis et approximatis eorum voluntatibus de utrisque voluntate hoc feceris; quia ut dixit sapiens, "Molestius est inter duos amicos iudicare." Sic ergo ames amicum ut ei sis amicus; quidam enim amant, non tamen amici sunt. Unde Martialis Cocus dixit,

Omnis amicus amat, sed non qui amat omnis amicus;  
Si quem pete tu amas, esto amicus ei.

Quare eciam Seneca in epistolis dixit, "Si vis amari, ama." Non enim potest quisquam beate vivere qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit. Alteri enim ut vivas enim oportes si vis tibi vivere. Nam consortium omnium rerum inter nos facit amicitia. Quare in proverbio dictum est, "Quitutum vult, totum perdit." Errant ergo qui putant se habere amicos quibus ipsi non sunt, secundum Senecam qui ait, "Nullum habet maius malum occupatus homo et bonis obsessus, quam quod amicos sibi putat, quibus ipse non est." Non ergo te tantum inspicias, sed et aliorum desideria quandoque compleas. Ait enim Cassiodorus, "Siquidem aliena desideria fideliter gerere, hoc est bona propria perfecisse." Et Seneca De Beneficiis dixit, "Quisibi tantum bene optat, male precatur." Et alius dixit, "Malus est dicendus, qui tantem causa sui est bonus."

Secundum tamen quantitatem fidei amici est amicus diligendus, ut quite plus diligit a te magis diligatur. Si vero te parum diligit, in eius amore et amicitiam non accendaris. Male enim competita est inter amicos amicitia, quorum unus pro amico animam et corpus et substanciam ponet, aliis autem de altero parum aut nichil curaret. Maiorem autem amorem minori preferre debes.

[Caput XIII.]

De amore senum et honore parentum et quomodo in senectute debeaste regere. Rubrica.

Herum quia paternus amor omnes alios excellit, ut mihi retribuas mepatrem tuum pre ceteris hominibus debes diligere et revereri. Ut enim ait lex, "Bona et honesta persona patris filio semper debet videri." Et sapiens Ecclesiasticus dixit, "Qui honorat patrem iocundabitur in filiis, et inde orationis sue exaudietur." Alibi idem dixit,

Qui honorat patrem vita vivet longiori, et qui obedit patri refrigerabit matrem. Qui timet Dominum honorabit parentes, et quasi dominis serviethiis qui se generaverunt. Et in opere, et sermones, et in omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a illius in eternum maneat. Benedictio patris firmat domum filiorum; maledictio autem eradicat fundamentum. Ne glorieris in contumelio patris tui; non enim est tibi gloria sed confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore. Filii, suscipe senectutem patris tui, et ne contristeseum in vita sua. Et si defecerit consensu, veniam da ei, et ne spernaseum in tua virtute.

Et alibi eciam dicitur, "Honora patrem tuum, et genitus matris tue ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos non fuisses; et retribue illis, quomodo et illi tibi." Et eciam Apostolus in epistola ad Ephesios dixit, "Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: ut benesit tibi, et longevus sis super terram." Et Cato dixit,

Dilige non egra caros pietate parentes  
Nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

Et Ihesus filius Sirac dixit, "Quam male fame est qui relinquid patrem, et est maledictus a Deo qui exasperat matrem." Et Martialis Coquus dixit,

Dilige si bonus est iuxta pietate parentem,  
Si malus est, tollera, filius esto bonus.  
Iuxta illud, "Bonus non est qui malos tollerare non potest." Et iterum Cato dixit,  
Verbera cum tuleris discens aliquando magistri,  
Fer patris imperium, cum verbis exit in iram.  
[Caput XIV.]

De senectute.

Et in iuventute tua vitam tuam taliter exerceas, ut tua senectus meritocollaudetur, et a tuis filiis et ab aliis veneretur et suscipiatur, secundum Catonem qui dixit,

Multorum senes cum facta et dicta recenses,  
Fac tibi succurent, iuvenis que feceris ipse.

Et si ad senectutem perveneris, animum tuum plus solito exerceas, langoremet desidiam et luxuriam et omnia puerilia fugiendo, adiuvando eciam patriam et amicos et iuventutem prudentia tua atque consilio. Nam ut ait Seneca in epistolis, "Turpe est habere auctoritatem senum et vitia puerorum, nec puerorum tantum sed infantium." Non enim exercent senex puerilia estate, sed vitio, unde Martialis Coccus ait:

Post annos centum puer Alphesibeus et adhuc;  
Eciam non etate puta sed vitio puer.  
Et alibi,  
De puero prodire senem me precipis, at tu  
De vetulo esse puer, tu Maximiniane, cupis.

Esse semel puerum nature non vetat ordo,  
Si superaddideris hoc venit ex vitio.

Magis enim peccant senes ludendo et puerilia exercendo, quam si in iuventute peccarent, Seneca testante qui ait, "Quanto serius peccatur, tanto turpis incipitur." Et iterum, "Anus cum ludit, morti delicias facit." Et ita secundum illum indigne transacta adolescentia odiosam efficit senectutem, et honeste acta superior etas fructus capud auctoritatis extremos. Mores predictos ergo in senectute tua servare debes, secundum Tullium qui ait, "Luxuria in omni estate turpis est, in senectute vero fedissima."

Sin eciam libidinum intemperantia accesserit duplex malum est, quodet ipsa senectus dedecus concipit, et adolescentium facit impudentiorem intemperantia. Unum igitur exemplum luxurie vel avaritie multum mali facit. Ut Seneca dixit, "Et ubi peccat etas maior, male discit minor." Et eciam Tullius dixit,

Senibus autem labores corporis minuendi sunt, exercitationes vero animi eciam augende videntur. Danda vero ab eis est opera, ut et amicos et iuventutem et maxime publicam rem consilio et prudentia quam plurimum adiuvent. Nichil magis cavendum est senectuti quam ne langori se desidue quedat.

Et si istos mores bene servaris, tua senectus et a filiis et ab aliis benesuscipietur et valde honorabitur et honesta erit. Nam ut ait Tullius De Senectute, "Senectus honesta est, si se ipsa defendat, si ius suum retinet, si nemini mancipata est, si usque ad extreum spiritum dominatur in suos." Defendere enim se debet senectus a langore et desidia, nec debet alteri parvo sensui se tradere, nec debet dare super se dominatum alicui in vita sua et cuilibet debet consulere prudentia et consilio suo. Et ita erit senectus honesta et eciam iocunda. Ut idem ait, "Si habent aliquid tamquam pabulum studij atque doctrine, nichil est ociosa senectute iocundius."

Sed licet ita ut supradictum est amare debeas parentes et filios, amore et tamen Dei preferre debes amori paterno et filiorum. Unde Matheus in evangelio dixit, "Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, dignus non est me." Et alibi idem in evangelio dixit, "Inimici hominis, domestici eius." Et nota quod nulos vidi filios qui male parentes tractassent, de quibus in hoc seculo Deus non faceret vindictam visibilem, et hoc merito accidit. Nam ut ait Cassiodorus, "Quibus fuit ex ossa societas parentum, civium non merentur habere consortium, ne puri cordis iocunda serenitas nebulosis maculis polluatur."

[Caput XV.]

De amore et dilectione filiorum.

De amore vero filiorum tuorum si Deus tibi dederit te non ammoneo. Natura enim in tantum te impellat quod eos vehementer diligas. Magis enim timeone illos plus te diligas quam illorum amorem negligas. Unum tamen dicotibi, ut non tantam pietatem in eos exerceas parcendo et virge et baculo, quod pietas tua in odium cadat. Ut Salomon ait, "Qui parcit virge, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit." Et alibi, "Virga et correctio retribuent sapientiam; puer autem qui dimittitur voluntatis eum confundet matrem suam." Et alibi, "Stultitia colligata est in corde pueri, virga et baculus fugabunt eam."

Fugata ergo stultitia per correctionem, efficientur filii sapientes et letificabunt te. Nam ut ait idem, "Filius sapiens letificat patrem, filius vero stultus mestitia est matris sue." Et alibi, "Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias anime tue." Et alibi Ihesus Siracdixit, "Filii sunt tibi? erudi illos a pueritia illorum. Filie sunt tibi? conserva corpus illarum, et non ostendas faciem tuam illarem ad illas. Trade filiam tuam, et grande opus feceris; et homini sensato da illam." Et alibi,

Audite populi, omnes gentes, et rectores ecclesie: filio et mulieri, fratri et amico, ne deris potestatem in vita tua. Melius est enim ut filii in te respiciant, quam te respicere in manus filiorum tuorum.

Et si forte filii vel alii amici tui correctiones et ammonitiones tuas recipere nolunt, non tamen desistas. Unde Cato dixit,

Cum moneas aliquem nec se velit ipse moneri,  
Si tibi sit carus, noli desistere ceptis.

Et Cassiodorus dixit, "Non facile efficitur vitiosus, cui monitor insistassiduus. Nec facile erroris vitio sordescit, quem assidua doctrina purgaverit." Nec provokes filios tuos ad iracundiam. Unde Apostolus in epistola ad Ephesios dixit, "Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina et correctione Domini." Ad exemplum ergo divinum filios castigare debes. "Quem enim Dominus diligit, castigat: et flagellatautem omnem filium, quem recipit," ut sanctus Paulus ait. Et Ihesus filius Sirac dixit,

Qui diligit filium suum assiduat illi flagella, ut letetur in novissimo, et non palpet proximorum hostia. Lacta filium tuum et paventem te facit; lude cum eo, et contristabit te. Ne credas sic illi, ne doleas, et in novissimo obstupescant dentes tui. Curva cervicem eius in iuventute, et tunde laterae dum infans est, ne forte induret et non credit tibi, et erit tibidolor anime.

Nam et Salomon in Proverbiis dixit, "Adolescens iuxta viam suam, et cumsenuerit, non recedet ab ea." Unde quidam sapiens dixit,

Qui non assuescit virtutibus, dum iuvenescit,  
A vitiis nescit desuescere, quando senescit.

Sed licet filii taliter sint castigandi, tamen "permittendum est aliquando iuvenibus sequi impetum animi," ut Seneca in epistolis dixit. Et non infiliis iocunderis impiis; si multiplicentur, non oblectaveris super ipsos; si non est timor Dei cum illis, ne credas vite illorum et ne respexeris in labore eorum. Melius est unus timens Deum quam mille filii impii; et utille est mori sine filiis, quam relinquere filios impios. "Ab uno sensato habitabit patria et a tribus impiis deseritur," ut sapiens dixit. Etecum ut hereditatem bonam relinquoris filiis, gloria virtutum eos instrueredes. Unde Tullius dixit, "Optima hereditas autem a patribus traditur filiis, omnique patrimonio prestantior gloria virtutis eorumque gestarum."

Et caveas ne amor filiorum in tantam dementiam te obstringat ut tui ipsius obliviscaris, tibi ipsi necessaria et utilia denegando. Nam ut ait Seneca in epistolis, "Magna dementia est heredis sui res procurare et sibi omnia denegare, ut tibi ex amico inimicum magna faciat hereditas: quanto enim plus acceperit, tanto plus de tua morte gaudebit." Inde eciam Salomon in Ecclesiaste dixit,

Detestatus sum omnem industriam meam, quam sub sole studiosissime laboravi, habiturus heredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desubdavi et sollicitus fui; et est quicquam tam vanum? Unde cessavit, renuntiavit que cor meum ultra laborare sub sole. Nam cum aliis laboret in sapientia, doctrina, et sollicitudine, homini otioso quesita dimittit; et hoc ergo vanitas et magnum malum.

Et alibi dixit, "Qui accervat ex animo suo iniuste, alii congregat, et in bonis suis luxuriabitur." Et quem habebat hostem plurimumque dimittit heredem. Sic ergo servias filiis et amicis

in vita tua ut mortem tuam non expectent, alioquin eciam extranei tuam vitam odio haberent, Seneca testante qui ait, "Cuius mortem amici expectant, eius vitam omnes oderunt."

[Caput XVI.]

De uxore diligenda.

Uxorem vero tuam perfecte diligere debes, quia pars tui corporis est, et unum corpus tecum est, ut ait Dominus qui eam adiutorium hominis vocavit. Nam cum fecisset hominem dixit, "Faciamus ei adiutorium," et extracta costade corpore Ade fecit Evam, et dixit, "Propter hoc relinquid homo patremet matrem, et adherebit uxori sue: et erunt duo in carne una." Et alibidixit Apostolus in epistola ad Ephesios, "Diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam." Et subiunxit idem Apostolus, "Ita viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Quia qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit et foveat eam." Et postea eciam subiunxit, "Unusquisque suam uxorem sicut se ipsum diligat: uxor autem timeat virum suum." Et merito uxor est diligenda quia donum est Dei. Dixit enim Ihesus filius Syrac, "Domus et divitiae dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor bona vel prudens."

Est enim ut dixit adiutorium hominis et maxime egeni, unde idem dixit, "Ubi non est sepis, dirupitur possessio; et ubi non est mulier, ingemiscit egens."

Et adeo teneris uxorem diligere, ut dicatur eam tui corporis potestatem habere. Unde ait Apostolus in epistola prima ad Corinthios,

Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Uxor autem non habet potestatem sui corporis, sed vir. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacatis orationi: et iterum revertimini in idem, non temptet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.

Et alibi, "Uxori debitum reddat: similiter autem et uxor viro." In tantum eciam teneris uxorem diligere ut nunquam ab illa valeas separari nisi ob causam fornicationis. Unde dictum est, "Quos Deus coniunxit, homo non separaret." Nec credas peccatum esse coniuges commisceri secum carnaliter, cum per Apostolum dicatur: "Unusquisque habeat suam fornicationem." Et alibi pereundem dictum sit, "Melius est nubere quam uri." Et alibi eciam per eundem dictum sit, "Qui vero iungit virginem suam, bene facit: et qui non iungit, melius facit." Et alibi, "Illi gatus es uxor? Noli querere. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit." Et eciam deviduis dixit, "Mulier alligata est legi quanto tempore vir vivit, quod si dormierit vir eius, liberata est a lege: cui vult nubat, tantum in Domino. Beator autem erit si sic secundum meum."

Sic ergo Apostolus dicit illum benefacere. Stultus est hereticus qui contra dictum Apostoli prohibet nubere et iubet abstinere a cibis quos Deus creavit. Ut Apostolus in epistola ad Timotheum dixit,

Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis demoniorum, in ypocrisi loquentes mendacium, et cauteriatam habentes conscientiam, prohibentes nubere, et abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.

Nec potest hereticus dicere dictum Apostoli esse intelligendum de nuptudivino. Nam si de divino intelligeretur secundum illam auctoritatem, meliusesset abstinere ab nuptu divino quam nubere in Christo, quod aperte falsumest. Nec inhreas hereticis, nec illis credas qui dicunt uxorem esse dimittendam,nec cum ea esse carnaliter utendum, prave intelligendo evangelium, ubidicitur, "Qui dimiserit patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, aut uxorem, centuplum accipiet, insuper et vitam eternam."

Illud enim intelligitur quando de voluntate utriusque coniugum hoc fiet,cum vovent castitatem, vel transeunt ad religionem de voluntate alteriusambo, vel eciam unus transit ad religionem de voluntate alterius coniugum,altero senescente et in seculum manente et castitatem voviente; vel eciamcontra voluntatem eius, si matrimonium non est consumatum per carnalemcopulam, quia vocatus est de nuptiis, ut decreta et decretales et iuraproclamat. Quare dico quod non debes cessare eciam a nuptu carnali, sitibi placet habere uxorem. Et uxorem accipias pocius ornatam bonis moribus in bona societate nutritam, quam divitiis habundantem et aliter malam,et pocius puellam quam viduam. Dixit enim quidam philosophus, "Accipe puellam in uxorem, quamvis sit vetula." Et Cato dixit,

Uxorem fuge ne ducas sub nomine dotis,  
Nec retinere velis, si ceperit esse molesta.

Nec facias magximos sumptus in nuptiis uxoris. Nam dixit Seneca, "Nuptiassumptuosas facere vita." Et si forte in uxore aliquid inveneris quod tibidispliceat, equo animo id tollerare debes si commode id fieri potest. Namdixit quidam philosophus, "Nulla tam bona uxor, in qua non invenias quodqueraris," et "nulla tam bona fortuna est, de qua nichil possit queri."Et Tullius De Amicitia dixit, "Non est quicquam difficilius quaminvenire quod sit ex omni parte in sua genere perfectum." Unde Salomonin Ecclesiaste dixit, "Virum de mille reperi unum, mulierem ex omnibusnon inveni." Si licet Salomon nullam invenerit, Seneca tamen benigniusuxores super omnia commendavit, dicens:

Sicut nichil est superius benigna coniuge, ita nichil est crudeliusfesta muliere. Quanto enim sapiens vitam suam pro viri salute opponit,tanto maligna ad mariti mortem eciam vitam suam reputat.

Et ideo bona uxor est diligenda. Nam dixit quidam philosophus, "Scias inbona muliere bonam societatem esse;" "bona mulier fidelis custos est etbona domus." Et alibi dixit, "Casta matrona parendo viro imperat."

Si ergo uxor mala est, eam feras prout commode potes. Ait enim quidamsapiens, "Feras, non culpes, quod mutari non potest." Sed licet diligere debes uxorem, non tamen dare debes illi potestatem super te in vita tua,nec dare debes illi primatum, ne forte tibi sit contraria. Ut Ihesus filiusSirac dixit, "Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo." Uxoremautem diligas ut illi fidem servando alii ea vivente non adhereas, sedpudititiam serves. Nam ut ait lex, "Periniquum videtur esse ut pudicitiamvir ab uxore exigat, quam ipse non exibeat." Et Seneca epistolarum dixit,"Improbum mechum esse dicimus, qui ab uxore per pudicitiam exigit, cumipse sit corruptor alienarum uxorum." Et Salomon dixit, "Qui autem estadulter, propter cordis inopiam perdet animam suam; turpitudinem et ingominiamcongregat sibi, et obprobrium illius non delebitur."

Nec adulteris uxorem tuam, nec eam nimium laudes, vel eam vituperes,nec mordacitate turpium verborum eam corrigas. Dixit enim Seneca DeFormula Honeste Vite, "Nullius amicitiam per adulationem acquiras.Laude parce, vitupera parcus." Sicut enim reprehenda est nimia laudatio,sic inmoderata vituperatio; hec enim adulatione, illa vero malignitatesuspecta est. Ne

provoces uxorem ad iracundiam, si hoc vitare potes, quia ut ait Salomon, "Non est caput nequius super caput columbri, nec est irasuper iram mulieris." Sed si forte sine tua culpa in iram proruperit, eius verba minime timebis. Ait enim Cato,

Coniugis irate noli tu verba timere,  
Nam lacrimis struit insidias, dum femina plorat.

Inde eciam Seneca dixit, "Duo genera habent in oculis feminarum lacrime; certi doloris unum, insidiarum aliud." Nam mulieris lacrime condimenta sunt malitiae, et parate lacrime insidias non fletum indicant. Quare Catodixit,

Nil temere uxori de servis crede querenti:  
Sepe enim mulier, quem coniunx diligit, odit.

Nec uxorius consilio nimis inhreas. Ait enim sapiens quidam, "Malo in consilio femine vincunt viros." Et in proverbio dicitur, "Consilium femine aut nimiscarum aut nimis vile."

[Caput XVII.]

De servantibus et mercenariis et servis corrigendis et diligendis.

Servientes autem et mercenarios et servos qui fideliter et docte serviunt tibi, specialiter multum diligere debes, eosque bene regere ac gubernare, et leniter cum illis agere. Nam dixit Ihesus filius Syrac, "Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subiectos tibi." Et alius dixit, "Subiectorum statum et condicione non dominio, sed iudicio regas, ut propriam domum non possidere, sed pocius ministrare puteris." Et quidam philosophus dixit, "Colant te pocius servi tui quam timeant."

Quos enim regere debes, leonina ferocitate minime tractes; alioquin te subiecte subiecti merito precavererent. Ait enim quidam philosophus, "Custodi te a rege illo qui ferrus est ut leo, et cui est levius animus ut puer." Esto ergo bonus et bene et bona impera, ut subiecti equo animotibi pareant, ubi boni imperant. Et qui in servos iracundus est et crudelis, satis ostendit potestatem adversus alios sibi defuisse. Quare Salomon dixit, "Rectorem te posuerunt? Noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis."

Et si docte et fidelliter tibi subiecti servient, talem illis te exhibeas, ut quasi propter te rerum tuarum domini videantur. Nam dixit philosophus, "Qui docte servit, partem dominatus tenet." Unde Ihesus filius Syrac dixit, "Servo sensato liberi servient; et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correctus, et inscius non honorabitur." Et Salomon dixit, "Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hereditatem dividet." Et alius dixit, "Qui invite servit, servus est; si volens, minister." Et Seneca dixit, "Probus libertus sine natura est filius."

Et nota quod si predictis benivolus fueris, benivolum animum erga te res tuas facient, et obsequia tua circa te finem non habebunt. Nam dixit quidam philosophus, "Obsequium benivoli animi finem non habetur." Et Seneca dixit, "Benivoli animi coniunctio, et magna cognatio est." Nec regas eos vel foveas in vitiis; quia ut dixit quidam sapiens, "Non corrigit, sed ledit, qui invitum regit." Nec nutrias eos a pueritia delicate. Nam ut ait Salomon, "Qui delicate a pueritia nutrit servum

suum, postea illum sentiet contumacem." Et non solum contumacem sentiet illum, sed etiam vilem, ita quod nullum poterit tollerare laborem. Si autem a puericia in labore nutritus est, nullum laborem postea recusabit. Unde Seneca in epistolis dixit, "Nullum laborem recusant manus, que ad arma ab aratro transferuntur: in primo defecit pulvere ille unctus et nitidus." Et Martialis Cocus dixit,

Mollibus assuetus loricam ferre recusat,  
Cervici tenere ferrea capsis obest.  
Sepius uncta manus capulum non accipit ensis,  
Lota et fota cutis frigore et ymbre dolet.  
Assiduus Veneris vexillifer, Emiliane,  
Virtutis nunquam signifer esse potest.

Virtutis enim gloria non facili sine labore acquiritur. Unde Cassiodorus dixit, "Laborem quippe non refugit qui virtutis gloriam concupiscit." Sed huiusmodi delicati labores substinent non possunt. Quare idem ait, "Almena omnia delicata sunt ad labores et facile bonus afflictionis sentiunt, qui ut suavibus delitiis consueverunt."

Nec timeas servos tuos nisi cum dilectione. Nam dixit quidam philosophus, "Minus esse quam servum, qui servum timet." Servos tamen alienos bene timeredebes. Unde sapiens dixit, "Non accuses servum ad dominum suum, ne forte irascatur tibi, et corruas." "Nec ledas servum tuum operantem in veritate, nec mercenarium dantem animam suam." Dixit etiam sapiens, "Servus sensatus sit tibi dilectus sicut anima tua; non fraudes illum libertate, nec inopem derelinquas illum." Et Seneca in epistolis dixit, "Cena parata reliquie circumstantibus dividuntur; sic paracta vita aliquid porrugas hiis, quietius vite ministri fuerunt." Et si servi tui divites fuerint, eorum divitiae utaris moderate, nec illos spoliari; alioquin condicione tuam faceres deteriorem. Nam dixit Martialis Cocus,

Dum spolias servos, dum diripi omnia eorum,  
Conpede servitij, Lentule, solvis eum.  
Paupertas servum tibi libertate coequat,  
Adsunt divitiae, tu dominaris ei.

Si autem servi tui indisciplinati fuerint, adhibe doctrinam et correctionem, ad modum sapientis qui dixit:

Cibaria, et virga, et bonus asino; panis, et disciplina, et opus servo. Operantur in disciplina, et petit requiescere; laxa manus illi, et petit libertatem. Iugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assidue. Servo malivolo torturam et conpedes, mitte eum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit occiositas.

Et certe necessaria bene debes servis et servientibus subministrare, ne sub quadam necessitate compellantur peccare. Ait enim Cassiodorus, "Sub quadam necessitate peccare creditur cui necessaria non prebentur." Et nota quod ferre omnis servi malivoli sunt atque inimici dominis suis. Unde Seneca in epistolis dixit, "Totidem habemus inimicos quot servos."

Ne tamen propter hoc in eos sevire debes, sed moderate castigare. Dixit enim Cato,

Servorum culpa cum te dolor urget in iram,  
Ipse moderare, tuis ut parcere possis.  
Et alibi,  
Cum servos fueris proprios mercatus in usus,  
Et famulos dicas, homines tamen esse memento.  
"Mercenarij atque merces non remaneat apud te usque mane. Dignus est enim mercenarius

mercede sua," ut Dominus dixit.

Secundum ergo qualitatem personarum corrigendi et castigandi sunt servientes, mercenarij, et servi. Nam ut ait Cassiodorus, "Feroce distictione premendisunt, mansueti civiliter amonendi: dolosi caute, simplices sub lenitatet tractandi sunt." Ait enim Seneca, "Malos metus cohercet, non clementia." Verum tamen ut ait Salomon in Ecclesiaste, "Perversi difficile corriguntur, stultorum infinitus est numerus."

### [Caput XVIII.]

#### De cautela in retinentis amicis.

In retinendis autem amicis diligens cautela est adhibenda. Amicus enim facile acquiritur, difficile retinetur. In primis sic habeas amicum ut non timeas ipsum fieri inimicum; amicorum autem negotia taliter tractes, ut eos in aliquo non ledas. Bonus enim amicus Iesus gravius irascitur duplicatur, cum ab eo a quo non meruerit venit. Inde eciam Seneca dixit, "Tanto magis iniuria est, affeccior quanto proximus est, qui facit." Et Cassiodorus dixit, "Malorum omnium probatur extreum inde detimenta suscipere, undecredebantur auxilia provenire." Et eciam aliis dixit, "Quanto in proximoplus quisque confundit, tanto fraudato spes confidentis animum magis acerbat." Nec ab amico invite dante aliquid sumas. Nam dicit Regula Amoris, "Non est sapidum, quod amans ab invito sumat amante." Et Seneca epistolarum dixit, "Nichil honestum est, quod ab invito, quod a coacto fit. Honestum voluntarium est."

Et bene potes perpendere quod invite dat amicus si tacet ammonitus. Nam ut ait Seneca, sapiens quod petitur ubi tacet habere negat: "Omnis enim benignitas properat: et proprium est libenter facientis cito facere." Tarde velle nolentis est. Quare non est ei precibus insistendum, nec est dignus rogari. Et si hoc faceres, ingenuitatem tuam lederes. Ait enim Seneca, "Ingenuitatem suam ledit, quem indignum rogat." Et licet dixerim quod periculum est cuilibet amico secreta pandere archana, tantum tibi commissa ab amicis secreta habeas, et eis in omnibus esto fidelis, nec secreta propallare, ait, debes. Nam ut ait Salomon, "Qui ambulat fraudulenter, revelat archana; qui autem fidelis est, celat animi commissum." Et iterum, "Qui celat delictum querit amicitias; qui autem repetit sermonem separat federatos." Et Ihesus filius Syrac dixit, "Qui denudat archana amici perdet fidem, et non inveniet amicum ad animum suum. Denudare autem amici ministeria, desperatio est anime infelicitis." Et eciam quidam philosophus dixit, "Sepultus apud testis sermo quem tu audieris." Nec despicias amicum tuum, vel alium vel aliquem alium. Nam ut Salomon ait, "Qui despicit amicum suum indigens est corde; vir autem prudens tacebit." Et aliis dixit, "Qui omnes despicit omnibus displicet." Nec dicas amico tuo, "Vade et revertere, quia cras dabo tibi;" statim possis dare. Nam ut quidam philosophus dixit, "Terminum termino addere roganti hoc tempore est caliditas negandi." Et alibi dixit, "Honestius est rem negare quam longos terminos dare."

Cave tamen si tibi forte non placet amico petita promittere, ne propter verecundiam incidas in mandatum. Dixit enim quidam philosophus, "Verecundianegandi cave ne tibi inferat necessitatem menciendi."

Et nota quod minus decipitur cui celeriter negatur. Ut quidam sapiensdixit,

Cum consideratione promitte, plenius autem quam promittas tribue et promissionem attende, si promissio non sit turpis, vel ex turpi causa, ut leges clamant, vel si promissi commode servari potest. Quidam enim promissiones fiunt que minime sunt servande.

Nam Tullius dixit, "Nec promissa sunt servanda, que sunt hiis, quibus promisseris, inutilia: nec si plus tibi noceant, quam illi prosint, cui quid promiseris." Inde quidam sapiens dixit, "Sapiens non mentitur, cum suum propositum in melius mutat."

Nec mutabis amico tuo grande, vel grave hes, ne forte propter hoc tuus efficiatur inimicus. Nam ut Seneca epistolarum dixit, "Leve hes alienum facit debitorem, grave in inimicum." Non ergo de gravi here alieno pro amico fideiubeas, ne forte eius inimicus efficiaris, sed si forte fideiussisti. Serva consilium Salomonis in Proverbiis dicentis,

Fili, spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam; illaqueactus propriis sermonibus tuis. Fac ergo quod tibi dico, filimi, temet ipsum libera. Quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, festina suscita amicum tuum. Ne dederis sompnum oculis tuis, nec dormit ent palpebre tue. Eruere damula de manu, et quasi avis de insidiis aucupis.

Minus dicto quam facias et diu deliberato cito facito. Celeritas enim beneficium gratum facit. Nam proprium est libenter facientis cito facere; ingratum autem beneficium est quod diu inter manus dantis hesit. Nam et Seneca De Beneficiis dixit, "Gratissima sunt beneficia parata, facilia, occurrentia, ubi nulla intervenit mora, nisi in accipientis verecundia." Inde eciam Seneca epistolarum dixit, "Beneficium diu petitum viles cit acceptum." Inde eciam Cassiodorus dixit, "Apud conscientiam nostram lesionis genus est profutura tardare non possumus extimare iocundum, quod ingrata fuerit dilatione suspensum." Fac sumptum propere cum res desiderat ipsa. Est dandum aliquid cum tempus postulat res aut res. Et alius dixit, "Res ad multam instantiam exhibita, cara videtur emptione quesita." Et ideo Seneca dixit,

Optimum est desideria cuiusque antecedere; illud melius, occupare ante quam rogemur, cum homini probo ad rogandum suffundatur rubor; et qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum.

Nam ut idem dixit, "Molestum verbum est et honerosum dum demisso vultudicit quis: rogo." Et iterum, "Nulla res carius constat, quam que precibus empta est." Et non solum in dando beneficio post deliberationem velox esse debes, sed eciam in omni opere tuo. Nam dixit Salomon, "Vidisti virum velocem in omni opere suo? Coram regibus stabit, nec erit inter ignobiles." Et Ihesus filius Syrac dixit, "In omnibus operibus tuis velox esto, et omnis infirmitas non occurret tibi." Non tamen tantam velocitatem exerceas, que operis perfectionem impedit, sed de opere bene consumato taliter valeas laudari, ut inde potiora merito debeas prosegui. Ait enim Cassiodorus, "Iusta potiora prosequitur, qui de commissa sibi perfectione negotij laudatur."

Nec dicas amico aliquid quod aures eius merito offendat. Nam sicut "mittens lapidem in volatilia deicet illa, sic et qui convitiatur amico suo dissolvit amicitiam," ut Ihesus filius Sirac dixit. "Ed licet non sit convitiandum amico vel eciam alii, equo tamen animo audienda sunt imperitorum et amicorum convitia," ut Seneca in epistolis dixit. Et non solum a convitio amicis cessare debes, sed eciam celare crimen convitiari possit. Unde Cato dixit,

Quod pudeat socios prudens celare memento,  
Ne plures culpent, quod tibi displicet uni.  
Et alibi,

Quantumcumque potes, celato crimen amici.

Et maxime quando crimen non est manifestum, sed adhuc latens vel occultum. Nam ut ait Cassiodorus, "Multo sanctius est tenebris occultare vitiosa, quam culpanda presumpta importunitate vulgare." Ideo autem dixi meritoquia corripere bene potes. Nam ut ait Tullius De Amicitia, "Et moneris proprieum est vere amicitie, et alterum libere facere non asperare, alterum pacienter accipere, non repugnanter." Et Salomon ait, "Qui corripit hominem magis gratiam apud eum inveniet, quam qui per lingue blandimenta decipit."

Illud autem secreto et benigne et non mordaciter facere debes. Unde Cato ait,

Litem infert cave cum quo tibi gratia iuncta est,  
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.

Et alibi,

Adversus notum noli contendere verbis:

Lis minimis verbis interdum masima crescit.

Et eciam Seneca De Formula Honeste Vite dixit, "Amonebis libenter, reprehenderis patienter. Si merito obiurgabit te aliquis, scito quia profuit; si in merito, prodesse voluit. Non acerba, sed blanda verba timebis." Monerivellere ac posse sera virtus est; nolle autem moneri stultitia est. Unde Ovidius De Remedio Amoris dixit,

Inpatiens animus nec adhuc tractabilis arte  
Resputit atque odio verba monentis habet.

Dixi "non acerba verba timebis, sed blanda," quia ut dixit sapiens, "Malus homo qui blande loquitur innocentium laqueus est." Et Cato dixit,

Sermones blandosque vitare memento.

Et aliis dixit, "Semper dulce fugias, quod amarum fieri potest." Et Salomon dixit, "Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, reteexpandit pedibus eius." Et aliis dixit, "Semper suum habet venenum blanda oratio." Et aliis dixit, "Nulle sunt occultiores insidie, quam hee, quelandent in simulatione officii aut in aliquo necessitudinis nomine. Nameum qui palam est adversarius facile quis cavendo vitare potest." Eciam Seneca dixit, "Peiora multa cogitat mutus dolor." Et aliis dixit, "Peiora sunt tecta odia quam aperta pretenta." Tacitus magis offendet te quam loquax. Et aliis dixit, "Qui bene disimulat, citius inimico nocet." Et alius dixit, "Verum est canem timidum vehementius latere quam mordere." Et altissima queque flumina minimo sono labi. Secundum ergo Tullium De Amicitia, "Multo melius de quibus acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur; et illos sepe verum dicere, hos nunquam."

Ammonitiones vero et reprehensiones ab amico benigne et libenter recipias. Nam ut ait Salomon, "Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odiens oscula." Et alibi, "Melior est manifesta correptionis quam amor absconditus." Et bene dixi "secreto hominem admonendum" quia Dominus ait, "Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum," et cetera. Et quidam philosophus dixit, "Secreto amicos admone, palam lauda!" Muta enim caritas spem representant non amantis. Si enim temere et mordaciter amoneres vel reprehenderes, accideret tibi quod Salomon dixit, "Qui aliena temerem manifestat vitia, sua vite pestive audiet crimina." Et corripere debessine vituperatione et interrogatione precedente. Ut idem dixit, "Ante interrogationem, neminem vituperes; et post interrogationem, iuste corripere." Et in correctiones vel obiurgatione alterius semper aliquid blandum commiscere debes, secundum Seneca qui ait, "Obiurgationi semper aliquid blandum commisce." Facilius enim penetrant verba que mollia vadunt, quam que aspera. Et certe quando vides homines in calamitate, cessare tunc debes ab obiurgatione. Ait enim quidam philosophus, "Obiurgari in calamitate gravius est quam ipsa calamitas." Unde Seneca dixit, "In calamitoso risus eciam iniuria est." Non tamen corripias irrisorem nec impium. Nam ut idem ait, "Qui corripit irrisorem, ipse

sibi iniuriam facit; qui arguit impium, ipse sibi maculam querit."

[Caput XIX.]

De beneficiis et muneribus.

Et nota quod licet per sapientes dicatur, "Quod memoria benefitiorum labilis est, iniuriarum vero tenax." Unde Salomon, interrogatus quid inter homines facilis senesceret, respondebat, "Benefitium tua tamen humanitas atque benignitas in contrarium laborando de acceptis beneficiis cotidie recordetur, de iniuriis vero obliscatur." Ut ait Cato, "Esto memor acceptibenefitij." Et alibi,

Exiguum munus cum tibi dat pauper amicus,  
Accipito pleneque laudare memento.

Et acceptum enim benefitium eterne memorie commendandum est, plene laudare debes et palam, non secrete nec ad aures. Nam ut Seneca dixit, "In gratuas est, qui, remotis arbitris, in angulo ad aures ait gratias." Et alibi in epistolis dixit, "Nemo cognoscit preter sapientem referre gratias?" Solus sapiens scit amare; solus sapiens amicus est, et nisi in sapiente fidem non esse." Et nota quod in beneficiis dandis bonum est adicere verba bona, et predicatione humana benigna queque commendare que prestes, ut ille videlicet se castiget qui tardior in rogando fuit. Adicias enim secundum familiarem loquelas, sive querelas: "Irascor tibi quod cum aliquid meum desiderasses, non id scire me fecisti, et quod tam diligenter me rogasti de meo quicquid desiderasti audacter petas." Plurique enim qui beneficia asperitate verborum et superscilio in odium adducunt eos sermones, eaque superbia usi, ut impetrassero penitentias, dementia enim est corripere cui das, et inserere contumeliam donis. Si quid erit de quo velis ipsum ammonere, aliud tempus eligito; non enim sunt exasperanda beneficia, nec quicquam triste illis in miscendum, nec sunt angustanda beneficia, immo per specie futuri verbis amplianda. Nam ut ait Cassiodorus, "Angusta sunt que non eciam de futuris aliquid pollicentur."

Nec eciam sunt dilatanda beneficia nec pro parvis magna accipienda. Ait enim Seneca De Beneficiis, "Nec exiguum dilatabo, nec magnapro parvis accipere patiar." Et nota quod ut Salomon in Proverbiis dixit, munus abs conditum quibus utilius est quam palam datum. Unde ait, "Munus abs conditum extinguit terras, et donum eciam sinu indignationum maximam." Et nota quod munus non semper accipendum est, nec semper reiciendum. Nam quod honeste accipi non potest, nullatenus recipiendum est. Unde quidam philosophus dixit, "Perdidisse mallem quam turpiter accepisse." Et Seneca dixit, "Benefitium accipere libertatem est vendere."

Non ergo libertatem tuam vendas ab in honesto vel indigno beneficio accipiendo. Oportet enim te illi retribuere et illius debitorem esse, quod gravissimum esset. Ait enim Seneca, "Grave tormentum est debere, cui nolis," et cetera. Iocundissimum est ab eo accepisse beneficium quem amare eciam post iniuriam possis. Reiciendum autem munus non est quod honeste et ab honesto accipitur, et accepto munere non est protinus invicem aliud mittendum. Nam ut ait Seneca De Beneficiis, "Reieccio muneris signum est protinus aliud invicem mittere et munere munus expungere." Et nota quod licet laudare debebas amicum de accepto beneficio, tamen beneficium a te alij collatum commemorare non debes. Nam Tullius De Amicitia dixit, "Que meminisse debet is in quem collata sunt, non debet commemorare qui contulit. Statim enim cum dicis te beneficium

dedisse videris repetere." Nam ut ait Seneca,"Benefitium qui dedisse dicit, petit." Et alius dixit, "Qui dedit benefitium,taceat. Narret autem qui accipit."

Nichil enim eque in dando beneficio vitandum est, quam inanis iactatio.Res enim loquetur nobis tacentibus. Et Cato dixit,

Officium alterius multis narrare memento,  
Atque aliis cum tu benefeceris ipse silet.

Et sive benefitium alii dederis sive ab alio acceperis, semper ylarem teostendas. Dixit enim Ihesus filius Sirac, "In omni dato ylarem fac vultumtuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas." Et Martialis Cocus dixit,

Attollunt ylares villissima munera vultus,  
Vultus sublustres maxima deiciunt.

[Caput XX.]

De iniuria oblivioni tradenda.

De iniuria oblivioni tradenda dicit Dominus, "Michi vindictam, et egoretribuam." Et Seneca epistolarum ait, "Iniurie oblivisci debemus, benefiivero meminisse. Nam iniuriarum remedium est oblivio." Et Ihesus filius Syrac dixit, "Onmis iniurie proximi ne memineris, et nichil agas in operibus iniurie." Omnino autem ab iniuria amici taliter obtemperes, ut eius amornullatus minuatur, et non solum ab iniurie [!] amici obtemperare debes, sed eciam ab iniuria cuiuslibet alterius. Multis enim minatur qui uni facit iniuriam. Et Cassiodorus dixit, "Iniuria unius compago tota conteritur." Et eciam Apostolus in epistola ad Collocenses ait, "Qui enim iniuriam facit, accipiet quod inique gessit." Et Seneca epistolarum dixit, "Ab aliis expecta, quod alii feceris."

Cavere certe debes ne amor minuatur. Amor enim numquam in eodem statupermanet: aut enim crescit aut decrescit. Eo enim ipse quod durat inveteraret crescit. Nam dicit Regula Amoris, "Si amor minuatur, cito decidit raro convalescit." Et Martialis Cocus dixit,

Prudenti, Probe, consilio est servandus,  
Que sero acquiris, sed cito perdis eum.  
[Caput XXI.]

De laude facienda vel non.

Ne amicum nec aliquem alium in eius presentia collaudes, quia dixit philosophus, "Laudare presentem nec ledere decet." Presentem dico alium, sed nec te ipsum laudare debes, ne derisorem invenias. Ait Seneca, "Quise ipsum laudat, cito derisorem invenit." Et Cato dixit,

Nec te collaudes nec te culpaveris ipse.  
Hoc faciunt stulti quos gloria vexat inanis.

Et iuxta illud, "Os alienum te commendet et non proprium, quia omnis laus in proprio ore sordescit."

Nec vituperes amicum, nec de eo ludas. Ut dixit philosophus, "Amicun nec ioco ledere quidem decet." Nam et Martialis Cocus dixit,

Vituperat subito subito qui laudat, Aledi,  
Hoc utrumque tuum significat vitium.  
Non est amicus subito vel immoderate laudandus. Unde Cato dixit,  
Nam quem tu sepe probaris,  
Una dies, equalis fuerit, ostendet, amicus.

Nec occasiones queras amico. Nam ut sapiens dixit, "Occasiones querit quivult recedere ab amico, et omni tempore erit exprobabilis."

[Caput XXII.]

De amicis fictitiis et dubitatis.

Hec que dicta sunt intelligas de veris et probatis amicis. Si autem de amico dubitas et utrum bonus aut malus sit ignoras, illum in ulteriore amicitiam non assumas. Nam dixit quidam philosophus, "Si quid dubitas, ne feceris." Animi enim iudicio quod negatum fuerit, fugito. Et Tullius De Officiis dixit, "Bene precipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites equum sit an iniquum. Equitas enim per se lucet; dubitatio autem significationem continet iniurie." Et ideo forte Seneca dixit, "Solet esse in dubio pro consilio temeritas."

Amicitiam vero dubitati amici ante probationem et venitatis cognitionem in suspenso teneas. Nam ut ait Seneca De Formula Honestae Vite, "De dubiis ne diffiniyas: tenes suspensam sententiam." Et non statim sine rationabili causa et bene cognita ab eo divertas. Nam secundum Regulam Amoris, "Nemo sine excessu suo debet amore privari." Non ergo debes privare tuo amore aliquem propter deformitatem corporis, vel exigitatem, vel imbecillitatem dum tamen alias bonus sit. Nam ut ait Seneca in epistolis, "Scire debemus non deformitate corporis fedari animum, sed pulcritudine animi corpus ad honoriari." Nec bonum nec malum vagina facit gladium. Idem de corpore dicendum est. Et Cato dixit,

Corporis exigui vires contempnere noli:  
Consilio pollet, cum vim natura negavit.  
Et si forte tibi alludat amicus tuus nec est corde fidelis, fac ut dixit Cato,  
Qui simulat verbis nec corde est fidus amicus,  
Tu quoque fac simile: sic ars deludit arte.

Nam et si blanda et ficta loquetur, tamen si prudens fueris cor eius facile tibi patebit. Ait enim Salomon, "Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus." Et alius dixit, "Speculum est mentis facies," et taciti oculi mentis archana fatentur. Et fac ut dixit Oratius,

Numquam te fallant animi sub vulpe latentes.  
Nam ut ait Ovidius,  
Impia sub dulci melle venena latent.  
Quare faciendum est secundum dictum Ysopi qui dixit,  
Pollicitis oris quamquam videantur amoris,  
Ne confidatis, ne forte per hec pereatis.

Verba quidem mellis sunt plena et intima fellis,  
In quibus est nusquam fidei spes certa quibusquam.  
Et alibi idem Ysoppus dixit,  
Nam simulators variant pro tempore mores.  
Menti sincere nequeunt eo usque nocere,  
Quando ad momentum sit ei opus id ademptum.  
Et qua crassantur que fraudis et arte minantur,  
Hac oportet non mire contingat iure perire.  
Et si hec feceris, fallacia simulatoris.  
Ei nocebit, et non tibi, ut sanctus Prosper ait,  
Fallaces semper curis torquentur amaris,  
Et mala mens nunquam gaudia paucis habet.

Si autem amicum omnino malum inveneris, quia errando propter illecebrius illum malum putando bonum amare cepisti, amicitiam eius non retineas. Non enim in tali errore est diutius perseverandum. Inimici enim gravissimisunt qui per simulationem amicitie alias nefarie produnt. Tales igitur vitandi sunt. Unde quidam sapiens ait, "Perfidos amicos devita nichil eiscredendo et cavendo omnia." Amicitiam tamen eorum non subito nec pravedivellas, sed paulatim per dissuetudinem eam derelinquas atque aboleas, non dicendo causas quare ab eo divertere, velut in Ovidio De Remedio Amoris legi, qui dixit,

Nec causas aperi quare divertia malis  
Nec quid doleas, clam tamen usque dole.

Et eciam beatus Paulus dixit in epistola ad Thesalonenses, "Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Ihesu Christi, ut subtrahatis vosab omni fratre ambulante inordinate." Tales igitur amicitiae sunt remissionesus elevande, ut dicitur Catonem dixisse, et dissuende magis quam dissidente. Nisi quedam admodum intollerabilis iniuria exardescerit, ut quod nequerectum neque honestum sit fieri nec possit, ut non statim alienatio disiunctio quefacienda sit. "Nichil enim est turpius quam cum eo bellum gerere cum quofamiliariter vixeris," ut Tullius De Amicitia dixit.

Per dissuetudinem enim aboletur amicitia; per continuam autem et assiduam conversationem et consuetudinem semper augetur et crescit. Quare amicum tuum iuxta te prout commode fieri potest et non procul semper debes habere. Unde Salomon dixit, "Melior est vicinus iuxta, quam frater procul." Etecum vulgo dici consuerunt, "Qui procul est oculis, procul est a lumine cordis."

De amore et dilectione proximi et acquirendis et retinendis et conservandis amicis ad plenum tibi scribere non valerem, sed ex tuo ingenio semper amicos fideles acquiras, eosque taliter studeas conservare, ut dulcedine et amicorum suffragio merito valeas vegetari atque gaudere.

## Liber III

De amore et dilectione aliarum rerum corporalium liber III.

Tractatu habito de amore et dilectione proximi, nunc videndum est de amore et dilectione aliarum rerum. Sciendum est quod res alie dicuntur corporales, alie incorporales. Corporales sunt que tangi et videri possunt, ut terra et aurum et argentum et vestes et pecunia et alie innumerabiles; incorporales vero que tangi et videri non possunt, ut iusticia, ius etratio, et servitia et iura et virtutes, de amore quarum tractari oportet. Sed in primis de amore et dilectione rerum corporalium tractatur, et temporalium tractabimus, postea de amore et dilectione rerum corporalium tractatur. Tua igitur discretio cognoscat corporales res esse diligendas. Nam sicut corpus sine anima vivere non potest, ita sine temporali substantia diutius non potest durare. Victor et vestitus corpori ita sunt necessaria, quod sine temporalibus rebus vita in hominis corpore nullatenus potest durare.

Per temporales enim res homo parentelas magnas facit adeo, ut in Pamphiliodicatur,

Dum modo sit dives cuiusdam nata bibulci,  
Eligit mille quemlibet illa virum.  
Alibi eciam dicitur,  
Glorificant gaze privatos nobilitate,  
Paupertas domum premit alta nobilitate.  
Et Oratius dixit,  
Et genus et formam regina pecunia donat.

Per temporales enim res acquirit homo magnam potentiam, ita quod reges et principes et fere quilibet homines eam sequantur et timeant. Temporales insuper res in tantum omnibus prosunt ut eis deficientibus efficiatur homopauper, mendicus, fur, latro, et fere omnia vitia acquirat. Et ut generaliter omnia comprehendantur quidam philosophus dixit, "Pecunia est regimen omnium rerum."

Ut ergo homines tot et tantis bonis consolentur, nec tantis bonis opprimantur, malis opes temporales merito diligere possunt. Amor namque habendi valde bonus est, dum tamen modum non excedat. Unde quidam sapiens ait,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines  
Quos ultra citraque nequid consistere rectum.

Amorem habendi circa opes temporales et bona terre stringere oportet, nefiat immoderatus. Nam immoderatus amor habendi omnia mala vitia ad se trahit. Imoderatus enim amor habendi opes merito avaritia potest nuncupari; imoderatus insuper amor habendi qui non extat in retinendo cupiditas potest dici, immoderatus enim deinceps amor habendi potestatem super homines potest dicisuperbia. Per immoderatum namque amorem habendi efficitur homo fur, latro, gulosus, luxuriosus, cupidus, avarus, superbus, lusor, et omnibus malis vitiis inherens. Ut ergo huiusmodi mala vitia fugias, immoderatus amor habendi penitus est fugandus, et igne ac ferro succidendum, totoque artifitio corde tuo est penitus separandus. Moderate itaque et sine festinatione et quasi per alluvionem opes temporales sunt acquirende. Nam ut ait Salomon, "Qui festinat dictari non erit innocens." Et alibi, "Festinate divitiae destruentur." Et alibi eciam dicitur, "Substantia festinantis cito dilabitur, nec non et minuitur; que autem paulatim colligitur, multiplicabitur."

Porro substantie iniustorum sicut fluvii siccabuntur, quia qui malecongregat, cito dispergit. Iustum iuditium est, ut que de malo proveniuntad malum proveniant, nec accedit ad bonum quod non procedit ex bono.

### [Caput I.]

#### De acquirendis et conservandis opibus.

In acquirendis et conservandis opibus et retinendis vehementer studeas, tres comites pre oculis semper habendo, videlicet, Deum et conscientiam bonam famam, vel ad minus duos, scilicet, Deum et conscientiam. Namcum a Deo bona cuncta procedant, merito Deus omnibus opibus est preferendus. Unde sapiens ait, "Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri insatiabiles." Opes enim secundum Domini et sanctorum eius mandata recte potes habere ac possidere, ut ait Apostolus, "Estote quasi tristes, semper autem gaudentes: omnia possidentes, tamquam nichil habentes." Multos enim sanctos legimus divitias magnas et multas habuisse, ut fuit beatus Iob; et eciam in evangelio legitur de Ioseph ab Arimathia, qui nobilis erat decurio, vir dives etiustus, et discipulus Domini, occultus tamen propter metum Iudeorum. Opes itaque acquiras et possideas, non tamen eis cor apponas. Unde prophetadixit, "Noli sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere. Divitiae affluant, nolite cor apponere."

Non ergo debes cor vel animum apponere divitiis vel voluptatibus, que ex occasione divitiarum oriuntur, quarum occasione peccata sumunt initium. Nam ut Seneca in epistolis dixit, "Animum voluptati indulgere initium est omnia malorum." Turpe est enim beatam vitam in auro vel argento reponere, quia ut ait Innocentius, "Opes non faciunt hominem divitem, sed egenum." Divitias ergo sub pedibus debes habere et non super caput, ut prophetadixit, "Omnia subiectisti sub pedibus eius, oves et boves universa, insuperet pecora campi." "Non divitias super caput," id est, non patiaris te avitiis superari. Avari enim divitias super caput et non sub pedibus haberet dicuntur, quia se a divitiis permittunt superari. Et ut verius dicam, avarus improprie dicitur habere divitias; non enim habet avarus divitias, sed divitiae habent eum, et ita illum detinent alligatum, ut divitiis non possit gaudere, nec fructus ex eis habere. Ut Salomon ait, "Qui congregat divitias, fructus non capit ex eis." Et Cato dixit,

Egerdives habet nummos, sed non habet se ipsum.

Ita certe habet avarus divitias sicut homo dicitur habere febres. Non enim proprie habet febres homo, immo febres habent hominem eumque detinent alligatum. Divitias autem acquiras et sub pedibus habeas, iustas tamen et bonas. Quia ut ait propheta, "Melius est modicum iusto, super divitias peccatorum multas."

Opes itaque temporales acquirere debeas cum tuo et alieno commodo, et non cum incommmodo alterius vel iactura. Nam ut lex dicit, "Naturale equum est neminem cum alterius iactura fieri locuplectiorem." Et Tullius De Officiis dixit, "Neque dolor, neque timor, nec mors, nec aliud quod extrinsecus homini accidere possit, tam est contra naturam, quam ex alieno incommmodo suum augere commodum." Maxime de exiguitate mendici. Nam ut ait Cassiodorus, "Ultra omnes crudelitates est divitem velle fieri de exiguitatem mendici."

Et ita debet esse commodum naturale, et non contra naturam. Debet eciam esse cum modo; conponitur enim "commodum" ex "com" et "modo". Nam ut idem Cassiodorus ait, "Si commodum mensuram equalitatis excesserit, vim suinominis non habebit. Omnia enim decet sub certa ratione moderati; nec possunt dici iusta que nimia sunt." Debet eciam commodum esse pulcrum. Unde Seneca dixit, "Turpe lucrum, ut dispendium, fugato;" pecunias enim illas volumus quibus libra iustitiae suffragatur. Ut Cassiodorus dixit, qui eciam ait, "Aurum siquidem per bella querere nefas est, per maria periculum, per falsitates obprobrium." In sua natura honesta sunt lucra, per que nemo leditur, et bene acquiritur, quod a nullis adhuc dominis abrogatur. Illa enim vera lucra iudicamus, que integritate suffragante percipimus.

Acquiras ergo lucra cum honestate et socij utilitate. Nam ut eciam aliussapiens dixit, "Bona est societas quam commitatur utilitas." Vita ergo acquirere cum rapina vel alterius iactura si vis ut tua substantia dureat stabilisque permaneat. Nam ut ait Seneca in epistolis, "Nulli vero, eciam cui rapina feliciter cessit, gaudium rati duravit in posterum." Et eciam secundum leges, "Turpia lucra ab heredibus sunt extorquenda." Taliter itaque opes acquirere studeas, quod Deum in aliquo nullatenus offendas.

## [Caput II.]

### De conscientia bona in opibus et in opibus rebus.

Conscientiam autem bonam in acquirendis opibus et in omnibus aliis rebus habere debes, ita quod nichil acquiras quod tuam conscientiam ledat, vel mentem tuam in aliquo offendat. Nam ut ait Apostolus in epistola ad Corinthios, "Gloria nostra hec est, testimonium conscientie nostre." Et quidam philosophus dixit, "Conscientiam potius quam famam intende." Falli enim poteris famam, conscientia numquam." Et alius dixit, "Cicatrix conscientie pro vulnere est." Et Seneca epistolarum dixit,

Bona conscientia turbam advocat, mala et in solitudine ansia est sollicita. Si honesta sunt que facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum iudico, si omittis hunc testem!

Et alius dixit,

Qui multarum habet potentiam rerum, primum debet purgare conscientiam, ut delicta que corigit non committat, vitet quod iudicat. Stultum enim est ut aliis velit quis imperare cum sibi ipsi imperare non possit.

Et Seneca dixit, "Facilime bono fueris si vitaveris que vituperabis." Et Cato dixit,

Que culpare soles, ea tu ne feceris ipse:

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Et eciam sanctus Bernardus dixit,

Gazas congestas precellit mentis honestas.

Et eciam filius Sirac ait, "Bona est substantia cui non est peccatum inconscientia; et nequissima paupertas in ore pii." Et eciam ut supra dixi, "Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri insaciabiles."

Conscientia enim lesa propter male acquisita vel alia turpia et pessimafacit hominem timidum. Unde Seneca De Formula Honeste Vite dixit,"Nichil hominem timidum facit irreprehensibilis vite conscientia." Et quidam alius sapiens dixit, "Qui innocentem dampnat sententia, semper est reus,cum cotidie se punit conscientia." Unde quidam sapiens dixit, "Tutissimares est nichil timere preter deum." Unde eciam apostolus dixit, "Perfecta caritas foras mittit timorem."

Et certe magnam habet lesa conscientia. Unde quidam philosophus dixit,"Gravis est pena animi, quam pro factis penitet." Et alius dixit, "Nullamaior nequitie pena est quam quod suis et sibi aliquis displicet." Et alius dixit, "Nichil est miserius, quam ut pudet, quod feceris." "Nocent enim scelera et si non sint deprehensa," ut Seneca dixit. Quare Seneca eciam ait, "Tacitum tormentum ignominie conscientia." Et Cassiodorus dixit, "Quid enim acquiri putatur, ubi bona conscientia perditur?"

Et certe mala conscientia semper homines torquet. Bona vero nunquam sine spe premij manet, eodem Cassiodoro testante qui ait, "Nolite sine premio credere que videntur ad bonam conscientiam pertinere."

### [Caput III.]

#### De bona fama.

Famam vero bonam in amandis bonis et in aliis rebus omnibus servare debes si potes, et eam omnibus opibus preferre. Est autem fama illese dignitatis status legibus ac moribus conprobatus in nullo diminuitur. Non ergo diminuidebet fama propter lucrum vel aliam rem. Nam scriptum est, "Lucrum cum mala fama dampnum est appellandum." Quare Cassiodorus dixit, "Affectans fame commoda pecunie negligit augmenta." Et Salomon ait, "Melius est nomen bonus quam divitiae multe." Et Seneca dixit, "Bona opinio hominum tutior est pecunia." Et iterum, "Bona fama in tenebris bonum splendorem facit." Et iterum, "Cui omnes benedicunt, possidet populi bona." Et Cassiodorus dixit, "Est enim ingenium animi signum fame diligere commode." Et iterum, "Habunde cognoscitur quisquis fama teste laudatur." Et Salomon rursus dixit, "Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa." Et Apostolus ad Philippenses dixit, "Modestia vestra nota sit omnibus hominibus." Et postea subiunxit, "Quicumque bone fame sunt, hec cogitate." Et eciam in epistola ad Thimotheum dixit de episcopo, "Oportet autem illum et testimonium habere bonum et ab hiis qui foris sunt." Et eciam Ihesus filius Sirac dixit, "Lux oculorum letificant animam; et fama bona in pinguat ossa." Et alibi, "Curam habede bono nomine; hoc enim magis permanebit quam mille thesauri magni et preciosi." Et Salomon ait, "Super argentum et aurum, gratia bona."

Et si vis servare bonam famam, fuge voluptates et libidines. Unde Catodixit,

Si famam servare cupis, dum vivis, honestam,  
Fac fugias animo, que sunt mala gaudia vite.

Nam et alius philosophus dixit, "Effugere cupiditatem, regnum est vincere." Et in tantum laudabilis est bona fama, ut a quodam philosopho dicatur, "Tacet omnis virtus, nisi fama late pateat." Et eiam alius dixit, "Pro bona fama maxima hereditas est." Et nota quod semper debet nova laus et fama oriri, ad hoc ut vetus duret. Unde quidam sapiens dixit, "Laus est ubi nova oritur, vetus admiratur."

Et si vis habere laudem famamque bonam, fugito lasciviam. Nam dixit quidam philosophus, "Lasciviam et laudem nulla concordia iungit." Famam intelligas bonam et frequentem que inducit gloriam. Gloria enim est frequens fama de aliquo cum laude, de qua dici consuevit, "Vita sine gloria mortis est socia." Quam gloriam adipiscuntur qui talia conantur facere,

ut quales velint videri, tales sint. Quod si qui simulatione et inaniostentatione et ficto non modo sermone, sed eiam vultu stabilem se gloriamposse consequerentur, vehementer errant. Vera enim gloria radices agitatque propagatur,

ut ait Tullius. Sic et modo falsa fama et falsus rumor cito dilabitur. Unde quidam sapiens dixit, "Falsus rumor cito opprimitur, et vita posteriori judicat de priori." Emuli certe bonis invident, et de eis talia suspicantur qualia facere consueverunt. Quia ut ait Cassiodorus, "Mens humana facile suscipitur de quolibet illaque pertulit."

Et ideo propter invidiam super bonos falsam famam quandoque inducunt. Unde quidam sapiens dixit, "Fieri non potest ut absque morsu emulorum vite huius curricula quis pertranseat." Malorum enim solatium est bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Unde quidam cum in interrogaretur quomodo faceret ut invidos non haberet, respondet, "Si nichil," inquit, "ex magnis rebus habueris, aut nichil feliciter gesseris." Nam sola miseria caret invidia, et intelligas gloriam vel famam veram, non vanam, que circa vanitates modum excedit. De qua dici consuevit,

Fama volat transitque modum, quocumque feratur,  
Que cito mortales deprimit atque levat.

Unde quidam philosophus dixit, "Quem fama semel oppressit, vix aut nunquam restituit." Et Augustinus dixit, "Qui negliget famam crudelis est." Et Cato dixit,

Luxuriam fugito, simul et vitare memento  
Crimen avaricie; nam sunt contrarie fame.  
Et alius auctor dixit,  
Quem semel horrendis maculis infamia nigrat,  
Ad bene tergendum multa laborat aqua.

Nam si fama duravit, difficile postea aboletur vel tollitur. Ait enim quidam philosophus, "Crimen sagitte est simile: facile enim infigitur, difficile vero extrahitur." Si vero famam non potest quin Deum offendas vel conscientiam tuam ledas, illam omnino omittere debes, et Deum et conscientiam fame preferre. Opes igitur bonas et Deo placentes acquiras, manibus operando et otia fugiendo, rationem in omnibus amplectendo.

[Caput IV.]

De operibus et labore manuum et negotiatione.

Manibus enim operari debes. Nam dixit Apostolus in epistola ad Ephesios, "Qui furabatur,

iam non furetur: magis autem laboret, operando manibussuis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem pacientibus."Et eciam in epistola prima ad Thimotheum dixit, "Nam corporalis exercitatio, non [sic] ad modicum utilis est." Et in epistola secunda ad Thesalonicenses dixit,

Hoc denuntiamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, et nihil operantes, sed curiose agentes. Hiis autem, qui huiusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Ihesu Christo, ut cum silentio operantes, panem suum manducent.

Et certe et in omni opere bono servanda est regula que dicit, quod benepotes facere noli differe. Provisio enim Dei adiuvat homines sine dilatione et pigritia laborantes. Quare in proverbio dictum est,

Dat Deus omne bonum, sed non per cornua taurum.

Unde eciam Panphilus,

Providet et tribuit Deus et labor omnia nobis,

Proficit absque Deo nullus in orbe labor.

Et propheta dixit, "Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit." Laborare itaque debes cum magna cura et diligenti opera pigritiam fugiendo, sompnollenciam fugando, et otia repellendo, ut labore set actus tui ad effectum perducantur. Nam ut Seneca in epistolis ait, "Nichilest quod non expugnet pertinax opera et intanta ac diligens cura." Bonas enim opes per agriculturam potes acquirere. Nam ut ait Tullius, "Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nichil est melius agricultura."

Potes eciam acquirere bonas opes et licitas negotiationes transferendores de locis in quibus habundant ad loca in quibus deficiunt, maxime admagnas civitates. Quamvis [sic] nam dixit quidam philosophus, "Fer messestus ad magnas civitates quamvis vilius ibi vendere putas." In magnis enim locis et divitibus melius est negotiari et uti atque morari quam in locis parvis atque pauperibus. Unde quidam philosophus dixit, "Ne moreris incivitate regis, dispensa cuius maior fuerit et redditus." Potes eciam acquirere bonas opes per acquisitiones et possessiones omnes pecudum et bestiarum maxime iuvenum et crescentium, et maxime in locis in pace constitutis. In rebus enim decrescentibus non est tam magnum lucrum. Inde quidam philosophus dixit, "Noli associari rei deficienti, et ne postponas te associari recrescenti."

[Caput V.]

De vitandis otio et sompno pigritia.

Otium omnino fugere debes. "Multam enim malitiam docuit occiositas," ut dixit sapiens. Quare eciam ait, "Qui operatur terram suam saturabitur panibus; qui autem sectabitur otium replebitur egestate." Per otia namquere plentur homines egestate, ut dictum est, et efficiuntur desides et pigriet luxuriosi et torpent homines, et ad omnia fere mala vitia dissoluuntur. Nam desides facti per otia non inveniunt tempus congruum ad laborandum. Frigore enim torpent, calore ad otia dissoluuntur. Quare dici consuevit,

Frigore torpemus, nos estus ad otia soluit,

Et sic desidibus tempus utrumque nocet.

Otia enim ita pigros faciunt homines, ut fere omnia sua negligant et incultare linquant. Unde

filius Sirac dixit,

Per agrum pigri hominis transivi, per vineam stulti, eciam ecce totumoperuerant urtice, et superficiem cohoperuerant spine, et materia lapidumdestructa erat. Quod cum vidissem, apposui in animo meo, et exemplo didicidisciplinam. Parum, inquit, dormitabis, pauxilum manus conferes ut quiescas:et veniet quasi precursor egestas tua, et mendicitas quasi vir armatus.

Et alibi eciam dixit, "Usquequo, piger, dormis? Quando consurges a sompnotuo?" Inde est quod tanto consilium tribuit, dicens:

Plus vigila semper ne sompno deditus esto!

Nam diurna quies vitiis alimenta ministrat.

Et Seneca dixit, "Stultum est sompno delectari et mortem querere; cum sompnussit assidua mortis imitatio." Et iterum idem dixit, "Nulliusmodi mihi diesper otium transit; partio noctem noctis studiis; vacuo sompno, sed subcuboet oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere et castigatos detineo." Et Salomon dixit, "Noli diligere sompnum, ne te egestas opprimat; aperioculos tuos, et saturare panibus."

Et sompno fugato corpus excedendum est, et ita afficiendum, ut obedireconsilio rationeque possit in exercendis negotiis et in labore tollerando.Ut Tullius dixit, "Durius enim tractandum est corpus, ne animo male pareat." Ut Seneca dixit, "Contemptus enim corporis sui certa libertas est." Et:"Magna pars libertatis est venter bene commoratus." "Nemo enim liber estqui corpori servit." Ut idem dixit, "Honestum vile est cui corpus nimiscarum est." "Corpus hoc animi pondus est ac pena."

## [Caput VI.]

De luxuria et luxurioso.

De luxurioso facto per otia, per Ovidium dictum est,

Otia si tollas, perierte Cupidinis archus  
Concepenteque iacent et sine luce faces.

Et non solum fugiendo otia potes fugere luxuriam, sed eciam fugiendo ipsumactum luxurie.  
Unde dici consuevit,

Quali more Martis cedis victoria parchis,  
Cede Venus cedit, insta magna improba ledit.  
Est autem luxuria libidinose voluptatis appetitus, de qua eciam Cato dixit,  
Cum te detineat Veneris dampnosa voluptas,  
Indulgere gule noli, que ventris amica est.

Et aliter eciam diffinitur, "Luxuria est res appetibilis quam fugiendofugamus, et sequendo persequemur vincimurque ab ea. Et nota quod "Luxurianon tantum peccat, sed eciam publicat," ut Seneca in epistolis dixit. Quareeciam ait, "Nichil luxuria tua tibi in futuros annos intactum reservavit." Et eciam Ovidius dixit,

Intrat amor mentes usu, dediscitur usu.

Et de luxuria dicit quod notavi supra in titulo De Amicitia MalorumHominum Vitanda. Per otia insuper vitium inheritie consumit corpus.Unde Cato dixit,

Segnitiem fugito, que vite ignavia fertur;  
Nam cum animus languet, consumit inheritia corpus.  
Et eciam quidam philosophus dixit cuidam imperatori, "Indignareris, inquit,optaret si

aliquis, ut inutiles manus ac pedes haberet: nunc autem cum omnia sint integra, quare eis uti non vis?"

Quare otium semper fugiendum est, nisi forte otium appelles quando legis, aliter enim morti otium comparatur. Ut Seneca in epistolis dixit, "Otium sine litteris mors est et hominis vivi sepultura."

[Caput VII.]

De pigritia.

Ita otia ergo fugias, ne piger efficiaris. Dixit Salomon, "Cogitationes robusti semper in habundantia, omnis autem piger semper est in egestate." Et alibi, "Propter frigus piger arare noluit, mendicabit igitur egestate, et non dabitur ei." Et alibi, "Vult et non vult piger; anima autem operantium impinguabitur." Et alibi,

Dicit piger: Leena in via, in itineribus. Sint hostium voluitur incardine suo, ita piger in lecto suo. Abscondit manus suas sub ascellissuis, et laborat si ad os suum converterit. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.

Et alibi, "Pigredo immittit saporem et anima dissoluta esuriet."

Et licet piger per inheritiam longam vitam duxerit, non tamen dicitur vixisse. Unde Seneca in epistolis dixit, "Quid illum octuaginta anni iuvant per inheritiam exacti? Non vixit iste, sed in vita moratus est, nec seromortuus est, sed diu. Nisi forte sic vixisse eum dixeris, quomodo dicuntur arbores vivere." Et alibi idem dixit, "Audaces fortuna iuvat, piger sibi ipsi obstat."

Et licet dixerim otia penitus esse fugienda et tollenda, non tamen semper debes esse in actu. Nam dixit Seneca De Formula Honeste Vite,

Non semper in actu sis: sed interdum animo tuo requiem dato: requies autem ipsa sit plena sapientie, studiis: et cogitationibus bonis. Nam prudens nunquam otio marcat: aliquando animum remissum habet: nunquam autem solutum accelerat tarda: perplexa expedit: dura mollit, ardua exequitur, scit enim quid qua via gredi debeat: et cito singula, ac distincte videt.

Et in Ovidio epistolarum dicitur,  
Quod caret alterna requie, durabile non est;  
Hec reparat vires fessa que membra novat.  
Et in Catone dicitur,  
Interpone tuis interdum gaudia curis,  
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.

Et Seneca dixit in epistolis, "In remedium cedunt honesta solatia, et quicquid animum erexerit, et corpori prodere." Quare idem dixit, "Utrique reprehendendis sunt, et qui semper inquieti sunt, et qui semper quiescunt."

Opes bonas et divitias iustas si potes tantas honeste acquiras, ut ex his liberaliter vivendo dives reputeris. Nam ut ait Tullius, "Is dives est cui tanta est pars ut ad liberaliter vivendum ei

sufficiat." Et ideodixi "honeste," quia non esset utile inhonestas divitias acquirere. Namut ait Tullius, "Quicquid honestum esset id utile esse, nec utile esse quicquam quod non sit honestum, et nequid quod crudele sit id utile est."

[Caput VIII.]

De opibus utendis et eciam contempnendis.

Divitiis autem acquisitis sapienter eis utaris, fugiendo avaritiam, et tibi aliisque bene faciendo. Unde Cato dixit,

Utere quesitis opibus, fuge nomen avari,  
Quid tibi divitie prosunt si pauper habundas.  
Et iterum,  
Utere quesitis, sed ne videaris abuti:  
Qui sua consumunt, cum deest, aliena sequuntur.  
Et iterum,  
Utere queritis modice: cum sumptus habundat,  
Labitur exiguus, quod partum est tempore longo.

Et Seneca De Formula Honeste Vite dixit, "Que habes, non apud tetamquam aliena, sed prote tanquam tua et dispenses et utaris." Et si inhiis bene prudens fueris ubique idem eris, et ut rerum ac temporum varietas exiguit, ita te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes, sicut manus que eadem est et cum in palmam extenditur et cum inpugnum restringitur. Et certe sicut nomen avari fugiendum est, ita et nomen prodigi. Unde Tullius dixit,

Impertiendum est, sed diligenter et moderate; multi enim patrimoniae effudere inconsulte largiendo. Quid autem stultius est quam, quod libenter facias, curare, id ut diutius facere non possis? Atque sequuntur largitionem rapine; cum enim dando egere cooperint, alienis bonis manus inferre coguntur. Ita, quod cum benivolentie comparande causa benefici esse volunt, non tanta assequuntur studia eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut omnibus pateat. Modus adhibetur isque ad facultatem referatur. In proverbiiis namque consuetudine venit, "largitionem fundum non habere."

Causa largitionis est, si autem necesse est, aut utile. In his autem ipsi simedocritatis regula optima est. "Avari tamen ignorant modum utendi pecunia," ut Seneca epistolarum dixit. Modus autem divitiarum duplex est: "Primus est habere quod necesse est; secundus proximus quod satis est," ut idem dixit. Et certe avari ita claudunt suas pecunias sibi et aliis eas denegando, ut pocius dicantur sepulte quam ab illis habite vel posse. Quare quidam sapiens reprehendit eos, dicens,

Cur, homo, qui cinis es, per avaritiam sepelis es?

Heri cur heres, eris tu non eris heres?

Non ergo debes illis [sic] claudere vel sepelire, sed debes illis uti, non ad superfluitatem, vel ad delicias, sed ad utilitatem ne forte inducatur debilitatem corpori. Nam ut idem Seneca dixit, "Debilitatem nobis induxit et delitie." Velle ergo debes quod satis est, et ita habebis quod velles. Nam ut idem ait, quid vult habet, qui velle quod satis est potest, "Quicquid enim usum hominum excedit, pondus est supervacuum et grave ferenti."

Si autem tantas possessiones acquirere non potueris, ut ad liberaliter vivendum tibi

sufficient, secundum naturam vixeris, nunquam pauper eris. Si ad opinionem nunquam dives erit, dives erit. Dixit enim quidam philosophus,

Si vis in hoc mundo tantum habere quantum sufficeret nature, non multadocebit te congregare; et si satisfacere cupido volueris animo, licet congregatisquecumque in toto mundi ambitu continentur divitiis, sitis tamen semperardebit habendi.

Non enim in rebus vitium est, sed in animo. Animus enim solet vocari dives, non archa. Quamvis enim plena sit, dum te inanem videbo, divitem non reputabo.

Si enim te divitem facere vis, non pecunie est addendum, sed cupiditatidetrahendum. Unde Martialis Cocus dixit cuidam suo amico qui vocabatur Rupilius,

Audio te, Rupupili, de paupertate querentem,  
Non quia nulla habeas, sed quia pauca tibi.  
Sed dicit sapiens, quod nemo est pauper eo quod  
Possideat pauca, sed quia plura velit.  
Si paupertati assensum prebere studebis,  
Si pro natura vivere, dives eris.  
Aspicio, nudum quod te natura creavit,  
Infans in mundum tu nichil intuleris.  
Et Cato dixit,  
Comoda nature nullo tibi tempore deerunt,  
Si contemptus eo fueris, quod postulat usus.  
Et alibi idem dixit,  
Rebus et in censu si non est quod fuit ante,  
Fac vivas contemptus eo, quod tempora prebent.

Leto animo paupertatem feras. Nam ut ait Seneca in epistolis, "Honestaquod res est leta paupertas. Illa non est paupertas, si leta est: non quiparum, habet sed qui plus cupit, pauper est." Circa paupertatem itaquesic est disponenda res familiaris, ne paupertas tibi honerosa sit, auttu alicui. "Pauci tamen sunt qui consilio se suaque recte disponant," utidem dixit. Nisi ergo tam divitie quam amor divitiarum in culpa est. Animumitaque et cor tuum circa divitiarum amorem taliter conpescas ac domes, ut te ipso contentus sis. Nam qui sibi ipsi satis est, cum divitiis natusest. Unde Seneca dixit, "Qui cum paupertate convenit, dives est." Et alibi, "Eum esse locupletem, qui paupertati sue aptus est et parvo se divitemfacit." Et alibi, "Scire uti paupertate maxima felicitas est."

Sic ergo animum tuum comprimas ac refrenes, ut tuo statu bonisque aDeo tibi prestitis contemptus permaneas. Alioquin si status tuus tibi displicerit, semper maiora affectando semper in malo statu eris. Status enim hominis secundum animum iudicatur. Unde Seneca in epistolis, "Quid enim refert, qualis status tuus sit, si tibi videtur malus?" Miser namque est qui semiserum putat, nec est beatus qui se non putat. Ut Socrates ait, "Si ergores tua tibi non sufficit, tu parcendo fac, ut rei tue sufficias parcitas." Enim necessitatum est remedium et medicina dampnorum. Nam qui parte suadispedit, diu durat ei possessa. Ut quidam philosophus dixit, "Et patientia animi occultas habet divitias." Nam magne sunt divitie non capere divitias, unde eciam Cato,

Ne tibi quid desit, queritis utere parce,  
Utque quod est serves, semper deesse putato.  
Et alibi,  
Quod nimium est fugito, parvo gaudere memento:

Tuta puppis magis est, modico que flumine fertur.

Et alibi,

Despice divitias si vis animo esse beatus,

Quas qui suscipiunt, mendicant semper avari.

Et alibi,

Paupertatis honus pacienter ferre memento.

Et alibi,

Dilige denarium, sed parce dilige formam

Quam nemo sanctus nec honestus cupit habere.

Nam ut ait Seneca in epistolis, "Maiore tormento pecunia possidetur quamqueritur." Quare non debes capere divitias, sed eas contempnere, ita uttibi causam malorum non prebeant. Nam idem Seneca dixit, "Divitie sunt causa malorum, non quia faciant aliquid, sed quia facientes irritant." Si vis ergo habere divitias, contempne illas. Nam ut idem Seneca dixit, "Brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est. Nam contempnere aliquis omnia potest, omnia habere nemo potest."

Cupiditas ergo divitiarum penitus repellitur. Quare Tullius eciam dixit, "Non est autem consentaneum qui metu non frangitur, eum frangi a cupiditate, nec qui invictum se a labore prestiterit vinci a voluntate." Quamobremet hec videnda et pecunie fugienda est cupiditas. Nichil enim tam angustianimi tamque parvi est quam amare divitias; nichil honestius magnificenteriusque quam pecuniam contempnere. Si habes ad beneficentiam libertatemque ferre, magnus est ille iudicandus qui cor suum taliter cohercet, ut in divitiis non ex audacia pauper sit. Et eciam secundum Senecam in epistolis,

Magni animi est magna contempnere ac mediocria malle quam nimia. Eoquod superflua nocent. Sicut segetem nimia sternit ubertas, sic rami honorefranguntur, sic ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas.

Quare mediocritas magis circa divitias et paupertas optanda est quam nimietas vel magnitudo. Unde Salomon ait in Proverbiis, "Mendicitatem et divitiasne dederis mihi, Domine."

Si ergo habes paupertatem, pacienter tollera; si divitias, illas tibi subice. Unde quidam sapiens dixit, "Et mihi res, et non me rebus subicere conor." Sic ergo animum tuum et cor tuum et mentem tuam vincas, ut licet pecunia quandoque careas, non tamen pecunia et divitiae resurant. Dixit enim Tullius De Officiis, "Malo virum qui pecunia egeat, quam pecuniamque viro." Nam ut dixit quidam philosophus, "Pecunia si uti scias, ancilla est; si nescis, domina." Unde Oratius dixit,

Imperat aut servit collecta pecunia cuique.

Pecunie ergo imperare oportet non servire. Pecunia certe et omnis res quantum in se est bone sunt, quia hominum causa facte sunt et create sunt. Unde ait Apostolus in epistola ad Timotheum, "Omnis creatura Dei bona," respectutamen possidentium eas quandoque mala et male dicuntur, nam si a bono homine possideantur, bone sunt; si autem a malo et malitioso et misero homine possideantur, male dicuntur, nam et vinum modice sumptum bonum est, ebriosum autem et superflue biberi malum est. Unde Cato dixit,

Que potu peccas, ignoscere tu tibi noli,

Nam crimen nullum vini est, sed culpa bibentis.

Et ideo servare debes Cassiodori dictum qui ait, "Facilius est ut accusette sitis quam recuset ebrietas." Ebrius enim extra briam est, id est: extramensuram et pro absente reputatur. Et ideo Seneca dixit, "Absentem ledit qui cum ebrio litigat." Quare vinum non est malum, sed ebrietas; et pecunia non est mala, sed nimius amor et cupidus pecunie. Et certe sicut idem sol in eodem instanti in diversis diversa operatur, quia ceram liquefacit, terram autem obdurat et siccatur, et humores solvit, ita

pecunia ab avaropossessa illum cruciat, largum vero decorat, proditorem ad paricidium etprodictionem et ad omnia fere mala incitat. Unde quidam philosophus dixit,"Pecunia avaro suplitum est, profuso decus, paricidium proditori." Sicet Apostolus ad Timotheum dixit, "Verbum crucis pereuntibus quidem stultitiaest: hiis autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus est Dei."

Sic eciam eloquentia in sapiente homine valde bona est, in insipientevero pessima. Unde sapiens dixit, "Eloquentia sine sapientia gladius estin mane furiosi." Et virtus in sapiente bona est, in insipiente vero pessima.Unde sapiens dixit, "Virtus sine sapientia temeritas imputanda." QuareMartialis dixit,

Virtutis studio nimium, Crisippe, laboras,  
Virtus absque modo nomen habet vitii.

Sic eciam omnes dies boni sunt, ut in Genesi legi quando divisit Deus lucema tenebris et diem a nocte. Sed mali dicuntur dies propter malitiam etmiseriam hominum ut expositores dicunt. Quare Dominus in evangelio dicit,"Sufficit diei malitia sua." Et Apostolus dixit, "Redimamus tempus, quoniamdies mali sunt." Exibe ergo te bonum et omnia apud te bona dicentur. Namut dixit quidam sapiens, "Nichil est homini bonum sine se bono." Si ergobonus fueris, omnibus creaturis licite uti poteris, sed non abuti. Abusus enim vel superfluos et nimius usus est reprobatus; et non solum in malis eciā in bonis rebus, Seneca testante qui ait, "Bonarum rerum nimiaconsuetudo pessima est."

Et hoc ideo quia abusus vel superfluos usus ex libidine procedit vellibidinem inducit, que omnino interdicitur. Nam libido est inproba voluntasutendi creatura propter se. Usus certe omnium rerum hominibus est a Deoconcessus. Sed abusus vel usus superfluos penitus est interdictus, ut optimenotavit beatus Augustinus in sermone suo qui legitur in sexta feria postPentecostem, qui sic incipit, "Non solum in novo," etc. Pecunia ergo utipoteris, sed si illam habes, ne vilis sis; habeas eam vilem. Nam dixitquidam philosophus, "Si pecuniam habueris, necesse est ut te ipsum velpecuniam vilem habeas." Et impera tibi. Nam scriptum est, "Imperare sibimmaximum est imperium."

Et cor tuum et animam tuam menteque tua taliter possideas, ut licetdifficilimum opus sit se vincere, tibi tamen imperando te taliter vincas,ut te ipso contentus sis, et secundum naturam vivas divitemque te faciaspaupertati assensum praestando et naturaliter vivendo, pecuniam eciā contempnendo,turpiaque lucra vilipendendo, que non solum sunt contempnenda, sed eciāsecundum leges ab heredibus sunt extorquenda; inique eciā acquisita restituendo,cum distinctione tamen, non quedam inique sunt acquisita et non inqueretenta, ut lucra meretricis; quedam vero inique retenta sunt et non iniqueacquisita, ut superabundantia prebende; quedam autem inique sunt acquisitaet inique retenta, ut usura et rapina, et ideo non sunt tenenda, sed restituenda,ut iura proclaimant.

[Caput IX.]

De guerra vitanda.

Quilibet certe servando predicta se divitem facere poterit, nisi fortein guerra sit constitutus.

Quantumcumque sit dives, oportet illum, si inguerra diu perseveraverit, aut divitias aut guerram perdere aut forte utrumque. Quare quidam philosophus dixit, "Nemo in guera constitutus satis divesesse potest." Si enim pauper est, guerram nullo modo sustinere potest; si autem in divitiis multum habundat, in sumptibus multo magis habundabit. Nulle enim sunt opes, ut mihi videtur, que sumptibus guerre sint suffitientes. Nam sicut omnes, qui peccant, quanto maiores sunt, famosius crimen habent, secundum Martialem qui ait:

Omnis homo crimen tanto famosius in se,

Quanto qui peccat maior habetur, habet;

ita homo in guerra constitutus, quanto maiorem, tanto maiores sumptus illumfacere oportet; et si guerram forte amiserit, maiori casui subiacebit. Unde dictum est, "Excelsis facilius nocet casus." Et in Lucano dicitur,

Invida factorem series summisque negatum

Stare diu nimioque graves sub pondere lapsus.

Et Martialis dixit,

Altior ascensus, gravior plerumque ruina est.

Et non solum divitie perduntur per guerram, sed eciam paradisus et amor Dei et vita presens et amici et noti per adversam guerre fortunam taliter ammittuntur quod loco predictorum omnia mala succedunt, et ad inferna hominisanima recta via pergere molitur. Amore itaque Dei et timore tantorum malorum guerram, quantumcumque potes, vitare debes, tua tibi servando et aliis relinquendo sua. Nam ut ait Seneca, "Principium discordie est quod est commune suum facere." Et iterum, "Quietissimam vitam agerent homines interris, si duo hec verba ante res omnes colerent, scilicet meum et tuum." Quod facere potes si eciam mandata Dei taliter servaveris quod nemini faciasque tibi fieri non vis, et omnia facias aliis que ab aliis tibi vis fieri. Quare dixit Dominus in evangelio, "Omnia quecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter." Et hoc est lex naturalis quamqui non servat contra omnes facere proponit, Cassiodoro testante qui ait, "Qui sine lege vult agere, cunctorum dispositus regna quassare."

Et si forte aliqua ex causa alicui invitus offenderis qui ait, "Utendum est eciam vitaris," qui ait,

Utendum est eciam excusatione adversus eos quos invitus offenderis, quacumque possis, quare id quod feceris necesse fuerit, nec aliter facere potueris, ceterisque operibus et officiis erit id quod violatum est compensandum.

Et si vis guerram fugere, nitaris omnibus placere, quod facere poteris, si gesseris optima et locutus fueris pauca. Non tamen tantam voluntatem omnibus placendi habeas, ut favorem populi per malas artes acquiras. Ait enim Seneca, "Popularis favor malis artibus queritur." Unde quidam sapiens dixit, "Nunquam volui placere vulgo: quid enim vulgus novit, ego nescio; que enim scio, vulgus ignorat." Et nota quod "Si multis placuerit vitatua, tibi ipsi placere non poteris," ut dixit quidam philosophus. Et sivis vitare guerram non ames periculum. Nam ut Salomon ait, "Qui amat periculum, in eo peribit."

Et si guerram vitare desideras, vita et fuge lites et contentiones prout commode potes. Nam contendere cum potentiori periculoso est, cum paridubium, cum minori verecundum. Et statuas eciam vitare belligeros et omnes alios quos tibi dixi vitandos supra, in titulo De Amicitia Malorum Hominum Vitanda, ut ibi nota per epistolam Apostoli secundam ad Thimotheum capitulo. Hoc autem et in superioribus capitulis. Et si ad alios malos vitare debes, te ipsum coherces primum et cor tuum conprime et linguam tuam taliter conpesce, ut tuas turpes cogitationes turpiaque dicta et facta in te prius corrigas et fugias, secundum Martialem qui dixit cuidam suo amico qui vocatur Probeus,

Non bene viventem te, Probe, fuisse refertur,  
Sed sine peccato querere terram hominem.  
Sed sine peccato reperire nullam valebis.  
Si non absque homine tu reperire velis.  
Ibis ad occultos calles, loca devia mundi;  
Peccatum tecum est, conscientia culpa comes.  
Ut fugias alios, tu te fuge primus ipsum,  
Alterius censor, et esto tuus.  
Hens inter homines, omnes fuge, turpia eorum,  
Tu tecum habitas, refuge, facta tua.

"Et ad correctionem tui habeas aut valde amicum aut valde inimicum," ut quidam sapiens dixit. "Et oculos et aures vulgi malos testes esse puta," ut alius dixit. Et nunquam initium discordie a te incipiat. Nam ut dixit quidam philosophus, "Semper ab aliis descendio incipiat, a te autem reconciliatio."

Nam ibi semper est victoria ubi est concordia. Et Salomon in Proverbiis dixit, "Qui ineunt pacis consilia, sequitur eos gaudium." Et Seneca dixit in epistolis, "Concordia prave res crescunt, discordia maxime dilabuntur." Et eciam principio debes obstare et cuilibet malo, ut legi in Ovidio De Remedio Amoris qui ait,

Principiis obsta: sero medicina paratur,  
Cum mala per longas convaluere moras.  
Et alibi idem dixit,  
Dum furor est in cursu, currenti cede furori!  
Difficiles aditus impeditus omnes habet.  
Stultus ab obliquo qui cum descendere possit,  
Pugnat in adversas ire natator aquas.  
Et alibi,  
Dum licet et modici tangunt precordia motus,  
Si piget, in primo limite siste pedem.

Et non solum guerram vitare et fugere debes, sed eciam bellum, quod occasione guerre fieri consuevit et multo fortius est vitandum. De quo propheta ait, "Dissipa gentes, que bella volunt." Bella enim populos cum dampno et malo suo domare consueverunt. Quare Salomon dixit, "Quinque sunt, que populum dominant: licentia, luctus, et fames, bellum, ad ultimum." "Vulgi imperitiam ad res cunctae sola constringit necessitas."

[Caput X.]

De necessitate et indigentia.

Bellum enim et guerra perducunt homines ad necessitatem, et sic ad mendaciam ad omnia mala, quare iura et proverbium clamant: "Necesitas non habet legem." Et Seneca dixit, "Necesitas egentem mendacem facit." Et iterum, "Necesitas ab homine, que vult, impetrat." Et iterum, "Omnia experiri necessitatem subigit." Et Cassiodorus dixit, "Necessitas moderata non diligit." Et alius dixit, "Magna necessitas cogitum eciam honestus homo latrinam adire." Quare ait, "Est una de adversitatibus huius seculi gravioribus libero homini, necessitate cogitur, ut si subveniat, requirere

inimicum." Et hoc ideoquia ut ait Cassiodorus, "Graviores insidias antiqui adversarii tunc subimus quando eius bona suscipimus." Fugias ergo guerram et omnia que indigentiamet necessitatem inducunt. Ait enim Cassiodorus, "Indigentiam iuste fugimusque suadet excessus." Et iterum, "Dum mater criminum necessitas tollitur, peccandi ambitus aufertur."

Nam per necessitatem pervenitur ad mendicitatem:

O miserabilis mendicantis conditio! Nam, si petit, pudore confunduntur, et si non petit, egestate consumuntur; sed ut mendicet, necessitate compellitur: indignatur, murmurat, imprecatur.

Quare Salomon dixit, "Melius est mori, quam indigere." Et quia non tam plurimum numerus efficit pugnam quam virtus paucorum. Ut quidam sapiens dixit, "Prospicere oportet in pace, quod bellum iuvet ultra vitet." Namet alius dixit, "Beata civitas, que bellum in pace timet." Alius vero dixit, "Si pacem diligis, belli non feceris mentionem." Varius enim eventus est belli. Quare Iudas Machabeus dixit, "Non in multitudine exercitus victoria fit belli, sed de cello est virtus. Facile enim est Deo a multis paucos liberare, et super multos paucis victoriam dare." Et David dixit ad Philisteum, quem cum lapide interfecit: "Et neverit universa ecclesia hoc, quia non in gladio nec in asta salvat Dominus: ipsius est enim bellum." Et ideo in bello maximum est periculum. Et ut dixit sapiens, "Nunquam periculum sine periculo vincitur." Quare belli periculum et omnia pericula vitandas sunt. Nam Tullius dixit,

Sed et fugiendum est eciam illud et curandum, ne offeramus nos periculissine causa, quo nichil potest esse stultius; quam propter in adeundis periculis consuetudo imitanda est medicorum, qui leviter egrotantes leviter curant, gravioribus autem morbis periculosas et ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est, subvenire autem tempesiati, id est necessitati, quovis modo, quavis ratione, sapientis est.

In bello certe ab omnibus mors expectare potest. Nam, "Incertum est, quomodo te expectet: tu eam omni loco expecta, et maxime in bello," ut sapiens dixit. Quare dixit Tullius, "Bellum ita vitandum est ut nulla causa suscipiatur nisi causa necessitatis, vel pacis habende vel ex infra scriptis casibus." Dixit enim Tullius, "Suscipienda quidem sunt bella ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivatur." Et alibi idem dixit, "Bellum autem ita suscipiatur, ut nichil aliud nisi pax quesita videatur."

Pax enim semper est affectanda que nullas insidias habeat. Unde idem Tullius dixit, "Mea quidem sententia paci, que nichil sit habitura insidiarum, semper est consulendum." Et alibi, "Intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus petitis geratur, aut denuntiatum sit ante etiundictum." Et alibi idem dixit, "Cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est, et mors servituti turpitudinique anteponenda est." Inde eciam Seneca dixit, "Occidi pulcrum est, si igminiose servis."

[Caput XI.]

De preparatione et munitione facienda.

Et nota quod "longa preparatio belli celerem victoriam facit," ut idem Tullius dixit. Et eciam Cassiodorus ait,

Munitio quippe tunc efficitur prevalida, si diurna fuerit cogitatione roburata. Omnia subito

probantur incauta, et male constructio loci tunc queritur, quando pericula formidantur. Res ergo preliorum bene disponit, quoties in pace tractatur.

Nam ut idem ait, "Munitio semper tractanda est in otio; quia tunc male queritur, cum necessaria iudicatur." "Omnia vero deliberata sunt robusta."

Et non solum in bello, sed eciam in omnibus aliis rebus diligens preparatio adhibenda est. Unde idem Tullius dixit,

Ad rem gerendam qui accedit, caveat ne id modo consideret, quam illares honesta sit, sed eciam ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipso considerandum est, ne aut temere desperet propter ignaviam, aut nimis consideret propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis, prius quam aggrediare, adhibenda preparatio est diligens.

Ideo autem dixi supra guerram quantumcumque potest vitare debes, quia propter malitiam et rapinam et violentiam iniuriaque multorum, quandoque nullo vitari potest. Duobus autem modis secundum Tullium fit iniuria: id est, aut fraude. Fraus quasi vulpecule ius leonis esse videtur, utrumque ab homine alienis simul, sed fraus est odio digna maiore. Totius autem iniurie nulla capitalior quam eorum qui tunc cum maxime fallunt, id agunt ut boniviri esse videantur. Unde si guerram propter predicta vitare non poteris, viriliter age sciendo quod secundum iura et rationes te defendere poteris.

[Caput XII.]

De guerra et defensione facienda.

Nam dicit lex, "Adversus periculum natura vel ratio permittit se defendere." In tantum enim defensio permittitur, ut eciam ante tempus violento occurre permittatur. Unde alibi lex dicit, "Melius est in tempore occurrere quam post exitum vendicare." Et alibi eciam lex et decretales dicunt, "Vim virepellere omnes leges, omnia iura permittunt." Et in tantum tibi vim virepellere licet quod si aliter periculum vitare non poteris, hominem occidisti, per leges et iura nullo modo puniaris. Nam si et arietes vel boves inter se commisissent et aggressor mortuus fuerit, altero se defendente, sine compositione iacere debet. Inde eciam alibi lex dicit, "Quod quis ob tutelam sui corporis facit, id recte fecisse videtur."

In defensione ergo facienda caute te custodias. Non enim bene pugnat qui voluntate superandi alium se denudat. Scriptum est enim, "Ita alium vulneres ne tu pateas ad plagam. Et si extendas brachium, video ne tibialis denudetur." Nam omnes simul pereunt quasi perite et graviter pugnati. Et nota quod qui adverso nititur loco duplex sumit certamen, et cum hoste et cum loco, ut quidam sapiens dixit, "Resistere ergo violentie et iniuriarum litterarum tibi permittitur, ut a quibusdam dicatur vitium et culpa non resistere iniurie, si fieri potest." Unde Tullius dixit, "Tam est in culpa qui non resistit iniurie, si potest, quam si parentes aut amicos aut patriam relinquat."

Tutelam tamen tui corporis facere debes incontinenti et cum moderamine inculpate tutele; ut si telo quis te percutere vult, tu ante percussionem illum telo percuttere poteris ad tutelam tantum, et non ad vindictam.

Similiter bella suscipienda sunt, et manu decertandum est pro fide catholica. Nam sicut fides nostrum scutum esse debet, sub quo clauduntur omnes virtutes, et cuius scuti amminiculo pugnare debemus. De qua eciam dixit Dominus in epistola ad Ephesios, circa finem: "Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi extinguere."

Et de qua eciam dictum est,

Prima canpum dubia sub sorte duelli  
Pugnatura fides agresti turbida vultu.

Ita pro fide bella suscipienda sunt, et manu eciam decertandum est. Etpotius est mors tolleranda quam fides derelinquenda, sicut Karulus et pugnatores et infiniti sancti pro fide mortem sustinendo pugnaverunt.

Sic eciam pro iustitia usque ad mortem decertandum est, Ihesu Siractestante qui ait, "Pro iustitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro iustitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos."

[Caput XIII.]

De morte non metuenda sed contempnenda.

Nec est in talibus mors metuenda. Nam ut idem ait, "Melior est morsquam amara vita, et requies eterna quam langor perseverans." Non enim vivere bonum est, sed bene vivere. Unde totius vite remedium est mortem contempnere. Nichil triste est cum huius metum effugimus. Unde Cato dixit,

Ne timeas illam que vite est ultima finis.  
Qui metuit mortem qui vivit perdit id ipsum.  
Et alibi,  
Linque metum leti: nam stultum est, tempore in omni  
Dum metuas mortem, amittere gaudia vite.  
Et iterum,  
Multum venturi ne cures tempora facti:  
Non metuit mortem qui scit contempnere vitam.  
Et quidam sapiens dixit, "Mortem ubi contempnis, omnem metum vincis." Etalius dixit,  
"Estingit mortem, qui eam contempnit." Timidissimum quamqueconsequitur. Et Martialis dixit,  
Mortis, Paule, timor tibi vite commoda tollit;  
Nam morieris vivens dum metuendo peris.  
Inter nature si ponas munera mortem,  
Te de morte metus sollicitare nequid.

Et aliud dixit, "Quod vitare nequis, confessim sustinere mente!" Sic quedura fuit mors tibi mitis erit. Non ergo minus debes timere mortem, nececum investigare tempus mortis. Nam ut ait Seneca, "Pereundi scire tempus assidue est mori," et, "Ubi omnis vite metus, est optima." Inde eciam Cassiodorus dixit, "Non est parvum tormentum adversus aliquod formidare venturum, dum semper

extimatur emergere quod timetur." Quare Seneca dixit, "Crudelius est semper timere mortem quam mori." Sic ergo cum vivas mortem contempnas, ut cum Apostolo dicere valeas: "Mihi vivere Christus est et mori lucrum."

#### [Caput XIV.]

In quot et in quibus casibus bella suscipienda sunt et manu decertandum est.

Ex predictis itaque colliguntur octo casus pro quibus bella suscipienda sunt et manu decertandum est, videlicet, pro fide servanda, pro iustitiam anumittenda, pro necessitatis causa, pro pace habenda, pro libertate conservanda, pro turpitudine vitanda, pro repellenda violentia, et pro tutela sui corporis facienda. Aliter autem non est decertandum manu maximo a litterato viro. Nam ut Seneca in epistolis dixit, "Stulta est et minime conveniens litteratovi occupatio exercendi lacertos et dilatandi virtutem." Litteratura enim quilibet meliorare debet, quia ut ait Cassiodorus, "Non aliqua in mundo potest esse fortuna, quam litterarum non augeat gloria notitia."

Vita tamen litterati viri pocius constare debet in cogitatione utili quam in occupatione vires corporis exercendi, Seneca testante qui ait, "Docto homini deruditio vivere est cogitare." Et nota "litteras insipientianimo tamquam baculum infirmo corpori repertas esse," ut quidam sapiens dixit. Et hec omnia predicta sunt facienda cum modo. Ait enim Cassiodorus, "Modus ubique laudandus est." Et non sunt facienda cum excessu. "Quid enim discrepat a peccante qui se per excessum nititur vindicare?" ut idem Cassiodorus ait. Nec etiam sunt facienda cum scelere. Ait enim Seneca, "Nunquam scelus scelere vindicandum est." Nec etiam sunt facienda ad vindictam.

#### [Caput XV.]

De vindicta facienda vel obmittenda vel temperanda, et de officio iudicis vel cuiuslibet circa vindictam.

Vindicta enim ad solum Deum pertinet, vel ad iudicem habentem iurisdictionem. Unde Dominus in evangelio dixit, "Mihi vindictam et ego retribuam." Deiudice vero habente iurisdictionem, per Apostolum dicitur, "Iudex non sine causa gladium portat. Iudex debet esse malefitorum in ira." Et etiam dicitur "estote subditi omni humane creature propter Deum, sive regi tamquam excelenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, ad laudem vero bonorum." Nec debet iudex habens iurisdictionem dubitare facere vindictam, quia non faciendo vindictam eamque omittendo vehementer peccat. Nam ut quidam philosophus dixit, iudex, "qui dubitat ulcisci, multos improbos facit." Et alibi, iudex, "qui non corripit peccantem, peccare imperat." Nam et aliud dixit, "Criminis indulti secura audacia crescit."

Quare iudex est a malefactoribus timendus, Apostolo testante in epistola ad Romanos, ubi dicit, "Si male feceris, time." A bonis autem hominibus mandus est pocius quam timendus, unde ibidem Paulus dixit, "Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere

potestatem? Bonum fac: et habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum." Hoc autem intelligo sive sit bonus iudex erat potestatem a Deo habebat sive malus. Nam et Pilatus malus iudex erat potestatem a Deo habebat, uteidem Dominus dixit in passione sua: "Non haberes potestatem super me, nisi datum esset tibi desuper." Non ergo nimium turberis si spiritus habentis potestatem supervenit in te, nec locum tuum dimittas. Ait enim Salomon, "Si spiritus habentis potestatem supervenerit in te, locum tuum ne dimiseris, curatio autem cessare faciet peccata maxima." Et nota quod Cassiodorus dixit, "Tamdiu enim iudex esse dicitur quamdiu iustus putatur, quia nomenquod ab equitate sumitur per superbiam non tenetur."

Et nota quod iuste et digne iudex potest et debet vindictam facere et occidere sceleratos, ac latrones publicos et homicidas et alios similiaperpetrantes, ut per infinitas auctoritates veteris et novi testamenti probari potest. Nam dicitur in lege Moysi, "Urbanum et maleficum non paciaris vivere super terram." Et alibi, "Qui maledixit patri vel matri, morte moriatur." Sed heretici dicunt legem Moyisti datam a diabolo et vindictam corporalem non esse faciendam, nec iudicem iurisdictum et imperium habentem possede iure occidere. Et dicunt vindictam corporalem ad solum Deum pertinere, allegando pro se verba Deum qui dixit, "Mihi vindictam et ego retribuam." "Et si quis percuserit tibi maxillam, porrige ei et aliam. Et si quis abstulerit tibi tunicam, da ei et pallium." Et illam aliam auctoritatem, "Nolite iudicare, et non iudicabini. Et nolite condemnare, et non condemnabini." Sed certe prave intelligent predictas auctoritates. "Nam sicut in uno corpore multamembra sunt, non tamen eundem actum habent," ut beatus Paulus dicit. Ita inter homines distincta sunt officia. Nam aliud dictum est religiosis, et aliud in seculo manentibus. Aliud autem iudicibus religiosis dictum est, "Si quis abstulerit tibi tunicam, da ei et pallium. Si quis percusserit tibi maxillam, porrige ei et aliam." In seculo vero manentibus eciam bonisdictum est, "Vim vi repellere omnes leges omniaque iura proclamant." Et, "Quod quis ob tutelam sui corporis facit, id recte fecisse videtur.

Et melius est in tempore occurere, quam post exitum vindicare, dum tamen ad vindictam non faciant predicta, ut supra dictum est. Iudicibus vero dictum est, "Iudex non sine causa portat gladium," etc. que supra dictasunt. Et eciam illis dictum est, "Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate." Si enim peccatum esset iudici recte iudicare, non dixisset propheta, "Si vere utique iustitiam loquimini, recte iudicate, filii hominum;" nec Apostolus dixisset, "Iudex non sine causa gladium portat. Sed debet esse iudex malefactorum in iram;" nec dixisset beatus Petrus, "Estote subditi omni humano creature propter Deum: sive regi excellenti: sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, ad laudem vero bonorum." Intelligo itaque predictam auctoritatem. Nolite iudicare, scilicet sine septem amminiculis que in iudicio necessaria sunt. Iudicando enim in eo iuditio septem principaliter sunt necessaria videlicet: scientia, jurisdictio, ratiocinatio, deliberatio, iustitia, timor Domini, et necessitas. Scientia in iuditio necessaria est, Salomone testante qui ait, "Ante iuditium para iustitiam, et ante quam loquaris disce." "Quare iudex qui imperitiam male iudicavit, tenetur, sicut et medicus qui per imperitiam male secutus est, unde leges nostre dicunt. Jurisdictio eciam necessaria est in iudicando. Nam et ipsi Iudei dicebant Pilato: "Nobis non licet occidere quemquam, quia non habemus iurisdictionem. Alioquin sententia nulla esset, utpote a non competenti iudice lata," ut leges nostre clamant. Ratiocinatio eciam in sciencia est necessaria, id est, rationis inquisitio. Nam recte adhibita ratio quod optimum est, cum neglecta vero multis implicatur erroribus, ut quidam philosophus dixit: "Nam quod ratione caret non potest esse diuturnum; qui enim rationem secum portat, totum mundum vincit." Unde quidam sapiens dixit, "Si vis vincere totum mundum, subice te rationi." Deliberatio eciam in iuditio est necessaria; cum deliberatione enim et sine festinantia etira procedendum est ad iuditium. "Deliberare enim utilia

mora est tutissima." "Optimum enim iudicem existimo, qui cito intelligit et tarde iudicat." "In iudicando enim criminosa est sceleritas." Unde dici consuevit, "Moraomnis odio est, sed facit sapientem." Et alibi dictum est, "Duo sunt contraria iuditio, festinatio et ira." Quare eciam Tullius dixit, "Nunquam enim iratus quod accedit a penam mediocritatem; illam tenebit que est internimium et parum." Unde eciam lex dicit quod "iudex ponderatas debet ferre sententias et frequenter partes interrogare aut novi aliquid addere veliter." Et Dominus eciam cum mulier deprehensa in adulterio ducta esset ante eum, digito scribebat in terra et post deliberationem, elevato capite sententiavitdicens, "Quicumque vestrum est sine peccato, primo in eam lapidem iniciatanimo." Et iterum deliberando scribebat in terra et postea elevatis oculis dixit, "Mulier, ubi sunt qui te accusant?" Et illa dixit, "Nemo, Domine." Et ille respondet, "Si nullus te accusat, nec ego te condemnabo." Iustitiavero necessaria est in iuditio, ut supra dixi, "In iuditium para iusticiam," etc. Timor eciam Domini necessarius est in iuditio, quia "timor Domini est initium sapientie," ut propheta dixit. Nam tanta est confusio legum et decretorum ac decretalium quod ad iudicandum vix memoria hominum sufficit. Quare lex dicit, "Omnium memoriam habere et in nullo penitus peccare potius est divinitatis quam humanitatis." Si ergo potius est divinitatis quam humanitatis, vehementer timendum est ne forte divinitas in nobis non sit. Necessitas vero incumbere debet in iuditio potius quam voluntas. Non enim Dominus per illa verba "nolite iudicare" exclusit necessitatem, sed voluntatem, quasi dicat: Non iudicetis ex voluntate, sed cum necessitas subest iudicare potestis, ut supra dictum est, "Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iuditium iudicate." Simile nolite est cum dicit, "Nolite iurare omnino." Non enim exclusit ibi necessitatem iurandi, sed voluntatem, quasi dicat: Non habeatis voluntatem iurandi, sed ex necessitate iurare potestis. Recte enim iuramentum prestatur si tres commites secum habeat, scilicet, veritatem, utilitatem, et necessitatem. Unde Apostolus in epistola ad Ebreos dixit, "Habre namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iuravit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens, etc." Et subiunxit, "Homines per maiorem sui iurant; et omnis controversie eorum finis ad confirmationem est iuramentum." Et angelus Domini iuravit per venientem in secula. Et propheta dixit, "Iuravit Dominus, et non penitebit eum." Simile nolite est cum dicit, "Nolite addere agrum agro, nec domum domui." Nam nec ibi exclusit Dominus necessitatem, vel utilitatem, sed voluntatem et nimiam cordis appositionem. Nulli enim sunt tam religiosi qui non addant quandoquidem domum domui. Nam si fratres minores vel predicatores non haberent ecclesiam competentem, ad congregationem fidelium adderent ecclesie sue. Et si non haberent coquinam vel refectorium, adderent predicta domibus suis. Excludit ergo Dominus per illud verbum "nolite" tantummodo voluntatem nimiam vel superfluitatem. Simile nolite est cum dicit, "Nolite cogitare de crastino." Nullus enim est in hoc mundo qui quandoque non cogitet de crastino. Simile nolite est cum dicit, "Nolite diligere mundum, nec ea que in mundo sunt." Nullus certe vivit qui non diligit que in mundo sunt. Non ergo exclusit ibi necessitatem vel utilitatem, sed nimiam voluntatem vel cordis appositionem. Sic et apostolus cum dixit, "Divitie si affluant, nolite cor apponere." Non enim excludit divitias sed cordis appositionem in divitiis quod potest perpendi per id quod dixit, "Omnia possidentes, tamquam nichil habentes." Sic itaque intelliguntur verba Domini, "Nolite iudicare," si non habetis peritiam iudicandi atque scientiam quia non de occultis vel dubiis. Item nolite iudi, si non habetis iurisdictionem. Et nolite iudicare contra rationem vel sine ratione vel omissa ratiocinatione. Et nolite iudicare sine deliberatione, vel cum festinatio, vel ira. Item nolite iudicare iniuste, vel contraiustitiam, et nolite iudicare sine timore Domini. Et nolite iudicare, id est, non habeatis voluntatem iudicandi, nisi tunc demum cum necessitate subsit vel utilitas. Et si ita feceritis, non iudicabimini vel condemnabimini propter iuditium vestrum. Immo meritum habebitis inde et eritis beati, propheta testante qui ait, "Beati qui custodiunt iuditium, et faciunt iustitiam omni tempore."

Nec eciam possunt dicere prefati heretici legem Moysi datam a diabolo, et Moysem malum fuisse. Nam si Moyses malus homo fuisse, non appellaretur Apocalipsi servus Dei, et si lex Moysi mala et a diabolo data, non dixisset beatus Paulus in epistola ad Ebreos, "Et Moyses quidem fidelis erit intota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum, que dicenda erant: Christus vero tanquam filius in domo sua: que domus sumus nos." Nec preciperet Deus legem Moysi debere servari, nec dicerem Moysem debere audiri, nec appellaretur in evangelio lex Domini. Dicit enim Dominus ipsa debere servari, cum dicit, "Super cathedram Moysi sederunt scribe et pharisei et hypocrite, omnia quecumque dixerint vobis facite et observate." Iubet eciam Dominus Moysem debere audiri, cum dicit in evangelium divitis: "Habent Moyses et prophetas, audiant illos." Et appellatur eciam per evangelium lex Domini, cum dicit de Helyzabet et Zacharia quod ambo erant iusti apud Deum, procedentes in omni opere et sermone secundum legem Moysi. Et eciam Dominus post resurrectionem cum apropinquasset discipulis suis euntibus ad castellum quod dicitur Emaus, incipiens a Moyse et prophetis exponebat scripturas. Si enim lex Moysidata esset a diabolo, non incepisset Dominus expositionem scripturarum Moyse.

Hii itaque prenotatis circa vindictam temporalem et corporalem pervetus testamentum et per epistolas apostolorum probemus eciam per evangelium per verbum Domini iudicem secularem habentem iurisdictionem atque imperium posse facere vindictam corporalem, et supradictos malefactores et similes posse occidere licite et iuste. Nam dixit Lucas in evangelio, "Verum tamen inimicos illos meos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc et interficide ante me." Et eciam per passionem Domini probatur. Nam cum Dominus in cruce penderet duabus latronibus iuxta illum positis, uno videlicet dextris altero autem a sinistris similiter in cruce pendentibus, et unus ex illis Dominum increpat dicens, "Alios salvos facit, se ipsum salvum facere non potest. Si filius Dei est, descendat nunc de cruce, et salvet semet ipsum et nos." Alius vero latro increpavit illum dicens, "Nec tu Deum times, nos quidem digne factis patimur et iuste; hic autem nil mali fecit. Memento mihi, Domini, dum veneris in regnum tuum." Cui Dominus respondit dicens, "Hodie tecum eris in paradyso." Aut certe latro iste dixit verum aut falsum. Si verum dixit, ergo verum est quod latrones et alii similes digne et iuste pro talibus factis a iudice occidi possint, sicut latro ille digne et iuste occidebatur. Si autem falsum et mendacium dixit, stultus fuisset Deus si pro mendacio et falsitate, quod est peccatum mortale, paradi sum latroni promisisset. Male ergo dicunt heretici qui dicunt nullum esse occidendum.

Si enim pro vindicta nullus occideretur, nullus bonus homo vivere valeret. Tot essent malefactores qui vestes et cibaria illis auferent quod omnes boni penitus destruerentur et perirent. Iudex ergo iurisdictionem et imperium habens animadvertere et castigare et mulctare potest et debet. Plus eciam dico quia sicut quilibet singulariter vindictas faciendo peccaret, iudex ita vindictam omittendo non esset a peccato immunis. Non ergo debet iudex malis parcere, sed eos punire. Nam ut ait Seneca, "Bonis nocet, qui malis parcit." Et sic cessabunt maleficia et malefactores timebunt. Nam ut ait Cassiodorus, "Excessus tunc fiunt in formidine, cum creduntur iudicibus displicere." Et ita vindictam iudex exerceat, ut in aliquo se contempnit non patiatur. Nam ut idem ait, "Imperium, si in parvo contempnitur, in nomine parte violatur." Non ergo debet esse iudex nimis familiaris, quia ut ait lex, "Familiaritas parit contemptum." Quare Cassiodorus dixit, "Miles ad secreta iudicis proximus presul si famam aut ornat aut maculat." Cum severitate itaque iudex facit facinorosos mulctare, et castigare debet, et non cum familiaritate aut eciam contumelia. Nam ut ait Tullius, "Omnis animadversio et castigatio contumelia vacare debet neque ad eius, qui puniet aliquid aut verbis castigat, sed ad rei publice utilitatem referri." Prospicere eciam debet iudex secundum leges, ne maior sit pena quam reperiatur culpanec primum transgrediatur delictum. Ait enim lex, "Pena

[interlinear above Peccata] suos tenent auctores, nec ulterius progrediatur penaquam raperiatur delictum. Propinquos notos familiares procul a calumpniasummovemus." "Cavere insuper debet iudex ne eisdem causis alij plectanturalii nec inde appellantur, quia qui per ticimum consultum partem negligunt per vitiosos in rem, in civitatem perducunt seditionem atque discordiam," ut idem Tullius dixit.

Et non solum rationem suorum civium bonus homo habere debet, sed eciamexternorum, eodem Tullio testante qui dixit, "Qui autem rationem suorumcivium dicunt habendam, externorum negant, hii dirimunt humani generissocietatem, qua sublata benefientia, liberalitas, bonitas, iustitia funditertolluntur." Et nota quod sicut iudex potest malefactores ut dictum estoccidere, ita potest eos bonis spoliare et mulctare, eodem Tilio testantequi ait, "Neque enim est contra naturam eum spoliare, si possis, quem est honestum necare." Tutelam autem tui corporis facere debes ingenio atqueprudentia, si fieri potest, et non superbia. Unde scriptum est,

Tutius est astu quam se defendere fastu  
Astu vincit homo cuncta creata solo.

Astu ergo vincere debes omnia, et maxime inimicos. Et si illos in fugamconverteris, vel in magnum timorem induxeris, antequam in potestate perveniuntua, illos audacter et sine dilatione perseguere. Quanto enim magis distulerispersequi, tanto timor eorum magis minuetur, et tua et tuorum virtus debilitatur. Quare quidam philosophus dixit, "Audendo virtus crescit, tardando timorminuitur." "Sed si vis facere vindictam, ad Deum recurre, qui pro te vindicandomalefactori retribuet," ut ipsem dixit, vel ad iudicem secularem quicum iustitia et ratione te vindicabit. Et si forte inimicum tuum in potestatetu videris, vindictam putabis vindicare potuisse, et de eo dices, "Non mihi nocuit, sed animum nocendi habuit." Scito enim honestum et maius vindicegenus ignoscere. Ut Seneca De Formula Honeste Vite dixit, "Melius est ignoscere, quam post victorie penitere." Nam ut ait Seneca, "Male vincit, que penitet victorie;" "optimum est enim ignoscere, semper tamquam ipsecotidie pecces." "Perpetuo enim vincit, qui clementia utitur." In victoriaenim fac quod Cassiodorus dixit; ait enim, "Nobis propositum est Deo iuvantesic vincere ut subiecti se doleant nostrum dominium tardius acquisisse." Et vincas te ipsum in victoria. Nam ut idem ait Seneca, "Bis vincit quise in victoria vincit." "Is enim vincit assidue, qui novit omnia temporare," ut Cassiodorus dixit. Inde eciam Ovidius epistolarum dixit,

Perdere posse sat est, siquem iuvet ipsa potestas:  
Sed tibi servatus gloria maior ero.

Et aliis sapiens dixit, "Multa ignoscendo potens fit potentior." Et aliud dixit, "Malo eciam parcas, si una est periturus bonus." Inde eciam lexait, "Sanctius est inpunitum relinquere facinus inpunitum relinquere facinus[sic] nocentis, quam innocentem condempnare." Ut ergo poteris et potentiorsis, aliis sepe ignoscito, tibi nunquam. Ut quidam philosophus dixit, "Sepe ergo ignoscere debes aliis maxime confitentibus peccatum et inde verecundantibus." Ait enim Seneca, "Ubi confessio, ibi remissio;" innocentie enim proximaest confessio. Et iterum, "Proximum ad innocentiam locum tenet verecunda peccati et confessio;" namque "peccatum extenuat qui celeriter corrigit."

Et quanto maior fueris, tanto magis circa vindictam te humilem ostendas, nam et regem decet clementiam habere. Unde Seneca De Clementia Imperatoris dixit, "Nullum clementiam magis decet quam regem." Et iterum, "Ira cumdixisset et parvi corporis sunt apes; rex tamen eorum sine aculeo est." Et Tullius ait, "Nichil enim laudabilius, nichil magno et preclaro virodignius placabilitate atque clementia." Unde Cassiodorus dixit, "Pietas quidem principum totum custodit imperium." Quam pietatem exercere debentprincipes et potentes non solum in omittenda, vel mittiganda vindicta, sed

eciam in remittendo, quandoque de sua substantia vel ratione. Nam utidem ait, "Illud applicamus nostris utilitatibus quod misericordi humanitateconcedimus."

Regnantis enim facultas ita fit ditior cum remittit, et acquirit nobilesthesauros fame, neglecta utilitate pecunie. Et tamen ita probanda est mansuetudoatque clementia, ut adhibeat rei publice tam severitas, sine qua administraricivitas non potest. Est autem "severitas virtus debito supplilio cohercensiuriā," ut in Moraliū Dogmate continetur. Et aliis dixit, "Remissiusimperanti melius paretur." Et nota quod si omnes vindictas tuas facerevolueris, amicos perdes, et solus remanebis, inimicosque multos recuperabis,sicut eciam de Iove scriptum est: "Si quotiens peccant homines, sua fluminamittat, Juppiter exiguo tempore solus erit."

Hec de amore ac dilectione Dei et proximi et corporalium rerum breviteret summatim tibi scribere curavi. Tu autem plenius ex tui subtilitate ingeniiutilitatem earum semper inquiras, et eis uti easque regere sapienter procures.

## Liber IV

### De amore et dilectione rerum incorporalium liber IIII.

Premisso tractatu de amore et dilectione rerum corporalium et temporalium, videndum est de amore et dilectione rerum incorporalium, que corde, animo et mente comprehenduntur, nec manibus corporis tangi possunt, nec eciam oculis corporeis videri. Auditu tamen comprehendendi possunt, sicut sunt iustitia et ius et ratio et virtutes et vicia, que omnia vehementius sunt diligenda, viciis penitus fugatis et certe.

#### [Caput I.]

##### De iustitia.

Iustitiam vehementer diligere debes, quia ut dixit Tullius, "Fundamentum est perpetue commendationis et fame iustitia, sine qua nichil potest esse laudabile." Ideo vero dixit, "Iustitia est omnium domina et regina virtutum." Insuper eciam dixit, "Nichil est honestum quod iustitia vacat." Preclarum est ergo dictum Platonis qui ait,

Non inquit solum scientia que est remota a iustitia et calliditas, potius quam sapientia est appellanda, verum eciam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audacie nomen habet potius quam fortitudinis.

Et postea idem Tullius subiunxit, "Nullum vero tempus est, quod iustitia vacare debeat." Seneca vero De Formula Honestae Vite dixit, "Iustitia est nature tacita conventio in adiutorium multorum inventa." In Moralium vero Dogmate diffinitur: "Iustitia est virtus conservatrix humanesocietatis et communis utilitatis." Secundum vero leges diffinitur, "Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuens." Partes vero iustitiae sunt: non violare homines, verecundie non offendere," ut Tullius dixit. Et nota quod iustitia sine prudentia multum proderit: "Sine iustitiae valet prudentia," ut idem Tullius dixit. Quare eciam ait, "Nemo iustus esse potest qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet, aut qui ea que hiis contraria sunt equitati anteponit." Atque eciam subiuncxi iustitiam necessariam fore dicens

hiis qui vendunt, emunt, conducunt, locant, comprehendis que negotiis implicantur. Iustitia ad rem gerendam necessaria est, cuius tanta est vis, ut nec illi qui maleficio aut scelere pascuntur possint sine aliqua particula iustitie vivere. Nam ille qui archipirata dicitur, nisi equaliter predam dispersiat, aut interficitur a sociis aut relinquitur.

Qui igitur veram gloriam adipisci volet iustitie fungatur officiis. Nam ut ait Salomon dixit, "Qui sequitur iustitiam et misericordiam, inveniet vitam, et gloriam." Et nota quod per iustitiam omnia reguntur, et per iniustitiam omnia destruuntur, et quandoque eciam regnum amittitur, a gente in gentem transfertur, Ihesu filio Syrac testante qui ait, "Regnum a gente in gentem transfertur propter iniusticias, iniurias et contumelias."

Ius est ars boni et equi. Inde precepta iuris oriuntur queque sunt hec: honeste vivere, alterum non ledere, cuique tribuere. Predicta itaque taliter hominem ornant, atque bonis moribus conformant,

quod merito illa sicutte ipsum diligere debes. Ratio autem est quidam mentis aspectus, de qua Seneca in epistolis dixit, "Ratio est arbitra bonorum et malorum." "Sequitur autem ratio naturam. Quid est ergo ratio? Nature imitatio." Aliter eciā diffinitur, "Ratio est vis discretiva boni et mali, liciti et illiciti, honesti et dishonesti," cum electione boni et fuga mali. Inde dicitur ratiocinatio, id est, rationis inquisitio. Que valde est diligenda et omnibus amplectendanegotiis. Nam quod ratione caret non potest esse diuturnum. Qui enim rationem secum portat totum mundum vincit. Unde scriptum est, "Si vis vincere totum mundum, subice te rationi." Ratione enim inhibenda est adholescentia, et bene adhibita ratio cernit quid optimum sit; neglecta vero multis implicatur erroribus. Et ut ait Tullius, "Sicut in reliquis rebus maiora sunt opera animi quam corporis, sic haec res quas ratione et ingenio persequimur gratior essunt quam ille que viribus."

## [Caput II.]

### De artibus diligendis.

Si divitie vel opes ut dixi sunt diligende, multo fortius artes quibus divitie vel opes acquiruntur diligere debes. Nam ut Seneca epistolarum dixit, "Artes serviunt nature, sapientia imperat." Licet enim liberales artes non dent virtutem, tamen animum preparant ad accipendam virtutem. Alio vero artes homines ditant, et nota quod ars dicitur ab arcendo, eo quod ad ipsam tamquam ad aliquod certum homo arcetur. Est autem ars infinitorum infinitum compendium, vel ars est collectio preceptorum ad unum finem tendentium. Artes ergo diligas easque habere studeas, et ex hiis filios instruas. Artibus enim vita hominis instruitur atque defenditur, opes acquiruntur et retinentur, eciam opibus deficientibus artes ita preciose sunt quod non relinquunt hominem usque in mortem. Unde Cato dixit,

Cum tibi sint nati nec opes, tunc artibus illos  
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.  
Et alibi,  
Disce aliquid, nam cum subito fortuna recedit,  
Ars remanet vitamque hominis non deserit unquam.  
Et eciam Pamphilus dixit,  
Ars animos frangit et firmas diruit urbes,  
Arte cadunt turres, arte levatur honus;  
Et piscis liquidis deprehenditur arte sub undis,  
Et pedibus siccis permare currit homo.  
Rebus et in multis ars adiuvat officiumque,  
Pauper sepe suo pascitur officio,  
Et quamvis iusta sedatur principi sua.  
Et alibi idem dixit,  
Cunctarum rerum prudentia discitur usu:  
Usus et ars docuit, quod sapit omnis homo.  
Et alibi idem dixit,  
Desperare nocet, votum labor inprobus implet  
Arsque vigil magnas sepe ministrat opes.  
Vigilare itaque debes circa artes easque cura et studio exercere. Ait enim Cato,  
Exerce studium, quamvis perceperit arte:

Ut cura ingenium, sic et manus adiuvat usum.  
Usus ergo necessarius est, qui prebet facilem viam in qualibet arte. Undeversus:  
Ars dat et usus habet: si iunxerit artibus usum,  
Difficilem facilem prebet in arte viam.  
Et magister bene dixit,  
Rem tria perficiunt: ars, cuius lege regaris,  
Usus, que serves, meliores, quos imiteris.  
Ars certos, usus promptos, imitatio reddit  
Artifices aptos, tria concurrentia summos.  
Et Seneca dixit, "Nil plus prodest in pugna et in omni arte quam exercitium."

Et predicta intelligas de artibus bonis et aprobatis, male namque artesnon sunt artes nominande, Tullio testante qui ait, "Minime sunt artes probandaeque ministre sunt voluptatum."

### [Caput III.]

#### De virtutibus diligendis et vitiis fugandis.

Virtutes dixi vehementer esse diligendas. Dixit enim Augustinus, "Virtus est habitus mentis bene composite ad modum humane nature consentaneus rationi." De qua Tullius dixit, "Proprium hoc esse statu virtutis, conciliare animoshominum et ad usus suos, id est, utilitates suos, adiungere." Et enim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur. Quarum una in perspicioendo est quid in unaquaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique sit, quid consequeris ex quoque gregantur, que cuique causa sit. Item, cohibere motus animi turbatos, appetitionesque obedientes efficere rationi. Tertium, hisque congregamus uti moderate et scienter. Unde eciam Ovidius dixit,

Est virtus placidis abstinuisse bonis.

Et certe magis curare debes vicia fugere et fugare quam virtutes acquirere. Unde Tullius dixit, "Nec tam enitendum est ut bona, que nobis non sunt, sequamur, quam vicia fugiamus." Nam et beatus Ambrosius dixit, "Egressus vitii virtutis operatur ingressum." Et nota quia ut Tullius De Amicitia dixit, "Nichil est virtute amabilius, nichilque magis alliciat ad diligendum, quippe cum propter virtutem et probitatem eciam eos, quos nunquam vidimus, diligamus." Quidam enim in virtute summum bonum ponunt, ipsa enim virtus amicitiam gignit et continet, nec sine virtute amicitia esse puto potest. Et nota queque ut Seneca in epistolis dixit, "Sunt virtutibus vicia confinia." Et nullum est vitium sine patrocinio. Vicia enim nostra que amamus defendimus et malum ea excusare quam exuere. Sed si vis viciis exui, longe a viciorum exemplis recedendum est, quia omnia vicia contra naturam pugnant. Et sicut virtutibus sunt vicia, ita bonis mala sunt coniuncta, et ideo virtus quesepe est in aliquo reputatur ei pro vicio et criminatur inde. Quare Oratius dixit,

Sunt mala iuncta bonis errori sub illo

Pro vicio virtus crimina sepe tulit.

Et aliud philosophus dixit, "Huius seculi bona sunt commixta: non enim comedes mel sine veneno."

Errore itaque depulso semper virtutes assequi debes, que sole dante Domino te beatum facere possunt. Quare Martialis cuidam qui vocabatur Carinodixit,

Credis opes solas te posse, Carine, beare;  
Virtus est que te sola beare potest.

Prius ergo removenda sunt vitia que obstant virtutibus, postea que ad virtutes accedendum est. Nam idem dixit, "Nichil prodest dare precepta, nisi prius ammoveas obstatura preceptis." Ad virtutes ergo adipiscendas in primis necessaria est ut cor et animum mentemque tuam ab omnibus vitiis mundescat purges ingenio tuo. Magni namque ingenii est revocare mentem a sensibus et cogitatione et consuetudine. Gravissimum est enim consuetudinis imperium. Cogitationes enim prave pravos mores inducunt, et homines coinquianat atque polluant. Unde Dominus in evangelio dixit,

Non quod intrat per os, coinquiat hominem, sed prave cogitationes corde descendant: de corde enim exeunt cogitationes male, homicidia, adulteria, furtum, fornicationes, falsa testimonia, blasphemie: hec suntque coinquianat hominem.

Spiritu ergo ambulare debes, et desideria carnis non perficietis, Apostolotestante qui ait, "Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis." Et ut generaliter tibi dicam, omnia vitia vitare poteris atque fugare sivitaveris sceleratos et certaveris contra vitia quibus homines corrumpuntur scelerati efficiuntur. Quos tibi dixi vitandos per epistolam ad Timotheum secundam capitulo; hic autem scito quod positum est supra in titulo De Amicitia Malorum Hominum Vitanda, et eciam in titulo supra De Amicitia Avari vel Cupidi Vitanda. Unde eciam Salomon dixit, "Eice irrisorem, et eicietur cum eo iniuria, cessabuntque cause et contumelie." Purgato igitur corde atque mundato a vitiis et cogitationibus malis illud roborare debes virtutibus, et ita melius corpus tueri quam per arma bellica, Ysopotestante qui ait,

Non ope lorice nec egebit acumine sice  
More nec ostili cuiusque iuvamine pili,  
Solo virtutum quis constat robore tutum.

Pectus itaque tuum virtutibus taliter armare debes ut amorem Dei et caritatemque dicitur dilectio Dei et proximi omnibus aliis rebus preferas, de quibus satis supradixi. Dilectionem vero proximorum et maxime tuorum sed animoponas. Nam ut ait Apostolus in epistola ad Timotheum, "Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior." Sollicitudinem et diligentiam portarias tui pectoris facias.

#### [Caput IV.]

#### De superbia.

Humilitatem vero contra superbiam semper opponas, ut contumeliam vitare possis, bona que humilitatis assequi. Nam ut sapiens dixit, "Ubi fuerit superbia, ibi et contumelia; ubi autem humilitas, ibi sapientia," simulcum gloria. Dixit enim alibi Salomon, "Timor Domini disciplina sapientie, et gloriam precedit humilitas." Et iterum, "Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritum suscipiet gloria." Est autem superbia amor proprie excellentie, et fuit initium peccati superbia. Unde Ihesus Sirac dixit, "Initium superbie hominis, apostatare Deo; quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius; quoniam initium peccati est omnis superbia." Et certe, "Contractionem precedit superbia; et ante ruinam exaltatur spiritus," utidem Salomon dixit. Et Ihesus Syrac dixit, "Odibilis est coram Deo et hominibus superbia, et execrabilis omnis iniquitas." Et iterum, "Obiurgatio et iniurie annulabunt substantiam; et domus, que nimis locuplex est, annulabitur superbia." Et eciam Iob dixit, "Si ascenderit usque ad celos superbia, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur."

Et nota superbiam alias habere radices, quod et omnibus vitiis fugatisadhuc remanent reliquie superbie. Unde dicitur,

Cum bene pugnaris,  
Que nimis infestat, vincenda superbia restat.

De qua superbia et superbis plus nos in titulo De Amicitia Superbi vel Perversi Hominis Vitanda. Et debes fugere superbiam eciam in prosperis rebus. Unde Tullius dixit,

Eciam in prosperis rebus ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magno opere fugiamus. Nam ut adversas res, sic et secundas immoderate ferre levitatis, preclara est equalitas in omni vita et idem vultus eidemque frons, ut de Socrate dicitur.

[Caput V.]

De invidia.

Invidiam enim omnino fugias. Pocius enim ledit ferentem quam illum contra quem portatur. Qui enim invidiam secum portat, nunquam letus est, nisi de proximorum detimento, et nunquam tristis nisi de eorum commodo. Unde describitur: "Invidia est odium alienae felicitatis, vel dolor animi ex alienis commodis." Et ita, "Quanta sunt felicium hominum gaudia, tantisunt invidorum gemitus," ut Socrates dixit. Unde quidam sapiens dixit, "Dignos esse invidos, si fieri posset, in omnibus civitalibus oculos etaures habere, ut de bonitatibus omnium torquerentur." Et certe notabilis est regula quam tradit Cassiodorus, dicens, "Quicquid ex invidia dicitur, veritas non reputatur." Quam invidiam secum portant plerumque pauperes et detractores et ydioti qui invident alienae scientie, unde Salustius dixit, "Semper in civitatibus quibus nulle opes sunt bonis invident, malos extollunt vetera odiunt, nova expectant, odio suarum rerum mutari omnia student." Sapientes autem aliis non invident. Unde scriptum est, "Non invident alienes scientie vel virtuti qui confidit de sua."

Sed mali semper invident bonis. Nam ut beatus Ambrosius dixit, "Si non esset claritudo sanctorum invidia non surgeret impiorum." In tantum certe dicitur invidia nocere, ut ferens illam dicatur inde comburi. Quare dixit Oratius,

Invidus invidia comburitur intus et extra.  
"Invidiosus ego, non invidus esse laboro."  
Invidia livet qui recitanda silet.  
Crimine se fedat qui, quod sapit utile, celat.

Non ergo debes celare utilia propter invidiam, sed illa cui libet ostendere, quia hoc faciendo tua scientia tibi et aliis prodest et tui ingenii fructum capis. Nam dixit Tullius, "Fructus ingenii et virtutis omnis que prestant et maximus habetur, cum in proximum quemque confertur." Si autem celaveris utilia, tua scientia nec tibi nec alteri proderit. Dici enim consuevit, "In mundo duo sunt, que abscondita prosunt: fossus humi census, clausus sub pectore sensus."

Invidia itaque taliter fugias, quod tacendo vel loquendo vel faciendo vel alium non ledas, sequendo dictum Catonis qui dixit,

Invidiam nimio cultu vitare memento;  
Que si non ledat, tamen hanc sufferre molestum est.

Et non solum a corde tuo invidiam repellere debes, sed eciam ab aliorum invidia quantumcumque potes preceavere, et maxime ab invidia amicorum que frequenter magis hominem ledit quam inimicorum insidia. Nam ut dixit quidam sapiens, "Cavere nos magis amicorum invidiam quam innimicorum insidias oportet. Illud enim apertum, hoc celatum malum." Quia fraus que non speratur potentior est. Contra invidiam ergo dilectionem Dei et proximi opponas, conpatiendo proximorum detrimentis, et congaudendo de illorum commodis.

### [Caput VI.]

#### De sapiencia.

Sapienciam et meditationem daperas tuas constituas. Eruditio et studium cibos tuos spirituales decoquat. Sapiencia enim sine doctrina et meditatione et assiduitate boni studii et luminatione et eruditione et vigilia vellectione non bene acquiritur nec pertinetur. Ait enim Cassiodorus, "Egredit profecto ingenium, nisi iugi lectione reparetur." Quare ut ait Seneca, "Acuit animum intenso, frangit remissio." Quod ad bonam continuationem studii nec tantum scribere debemus, nec legere tantum; altera enim res constringit vires et exarduit, altera solvit et diluit. "Invicem ergo hoc et illo comeandum est et alterum altero temperandum," ut quidam sapiens dixit. Et de predictis plene notavi supra in principio huius libri De Doctrina. Memoriam vero thesauris sapiencie tue instanter preferas. Solet enim plus prodesse si pauca sapiencie tue precepta memorie teneas, et illa impromtu et in usu sint tibi, quam si multa didiceris sed illam memorie non commendaveris. Quam memoriam iuvare debes cogitatione et ingenii exercitatione. Enim Tullius De Senectute, "Exercende memorie gratia, quid cotidie dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi." Hec sunt exercitationes ingenii.

Videndum est ergo quod sit initium sapiencie et quid sapiencia. "Initium sapiencie," secundum prophetam, "est timor Domini," de quo quidam philosophus dixit: "Timor Domini sit negotiatio tua, et veniet tibi lucrum sine labore." Est enim timor Domini elatus ad omne bonum, ad percipiendam gloriam conductum. Nam qui timet Deum, omnia timent eum. Qui vero timet Deum et omnia quitimet Dominum diligit illum, et qui diligit Deum obedit Deo. Sapiencia vero est scientia sapore virtutum condita. Vel aliter diffinit Seneca in epistolis sapienciam dicens, "Sapiencia est perfectum bonum mentis humanae; divinarum humanarum rerum scientiam." De qua eciam Salomon in Proverbiis dixit, "Melior est sapiencia cunctis preciosis oppibus, et omne desiderabile ei non poterit comparari." Et in Proverbiis eciam dixit, "Dic sapiencie: Soror mea es, et prudentiam invoca amicam tuam." Et iterum, "Posside sapienciam, quia auro melior est, et acquire prudenciam, quia melior est argento." Et Ihesus filius Syrac dixit, "Vinum et musica letificant cor; et super utraque dilectio sapiencie."

Et pro certo sciendum est sapienciam talem esse virtutem quod sine studio sapiencie nemo beate vivere potest, et sine sapiencia animus eger dicitur. Nam dixit Seneca in epistolis, eger animus est sine sapiencia: "Sapiencia animum firmat et fabricat, vitam disponit, regit actiones, agenda et omittenda demonstrat."

Sapiencia nos tueri debet. Hec docebit, ut Deum sequaris, feras casus. Hec exigit, ut ad

legem suam quisque vivat nec a ratione vita dissentiat. Hominem sapientem facit, ita ut a philosopho dicatur, "Sapiens contra omnes fert arma, cum cogitat." Et eciam dixit Seneca in epistolis, "Sapiens vincit fortunam virtute."

[Caput VII.]

De fortuna.

Licet alius idem dixerit, "Errant qui dicunt, fortunam tribuere nobis aliquid boni vel mali." Quare idem dixit, "Male geritur, quicquid fortunigeritur fide." "Fortuna enim vitrea est et, cum splendet, frangitur." Et idem dixit, "Nec vita nec fortuna perpetua hominibus." Et iterum, "Homines cum se fortune naturam dediscunt." Et Cassiodorus dixit, "Nichil enim sine causa agitur nec modus fortuitis casibus implicat."

"Stulti ergo timent fortunam, sapientes ferunt," ut Seneca dixit. Etnota quod "Neminem fortuna occupat nisi adherentem sibi," ut quidam dixit. Et nota quod "Fortuna quem nimium fovet, facit stultum," ut alius dixit. Et nota quod "Fortuna lubrica est, invita detineri non potest." Et aliud dixit, "Fortuna, sicut medicus imperitus, multos necat." Et nota ut dixit Ihesus Syrac, "Sapiens in omnibus metuit, et maxime inimicos." Unde Salomon dixit, "Beatus homo, qui semper est pavidus; qui vero mentis est dure, corruet in malum."

[Caput VIII.]

De timore.

Et Seneca dixit, "Qui omnis insidias timet, in nullas incidit insidias." Iterum idem ait, "Semper metuendos sapiens evitat malum." Unde alibi idem dixit, "Non cito petit ruinam, qui ruinam timet." Et alibi iterum dixit, "Caret periculo, qui eciam tutus cavet."

Et timere debes non solum magna sed eciam modica et parva. Unde aliussapiens dixit, "Inimicum, quamvis humilem, docti est metuere." Inde eciam Ovidius De Remedio Amoris dixit,

Parva necat morsu spatisum vipera taurum;  
A cane non magno sepe tenetur aper.  
Eciam Pamphilus dixit,  
Res tamen interdum grandia parva movet;  
Ex minima magnus scintilla nascitur ignis,  
Sed generat parvum grandia principium.  
Et alibi,  
Causa pusilla nocet, sapiensque nocentia vitat.  
Et Martialis dixit,

Quem leo non tetigit, dum mordet arinea ledit.

Evole, non tamen grandia, parva cave.

Sed licet timere semper debeas non solum, sed eciam parva, non tamen debesesse nimis timidus. Nam ut Seneca dixit, "Pericula timidus eciam que nonsunt, videt." Et alibi idem ait, "Cotidie dampnatur, qui semper timet." Et alibi scriptum est, "Quidam fallere docuere, dum falli timent." Et notaquod "Studium sapientie phylosophia dicitur," ut Tullius dixit. De quaeciam Seneca epistolarum ait: "Phylosophia dividitur in tres partes: inmoralem, et in naturalem, et in rationalem. Prima conponit animum, secundarum naturam scrutatur, tertia proprietates verborum exigit ac straturam."

Ad quam phylosophiam nemo pervenit occupatus, Martiali Coco eciam hoc testante qui ait,

Dedita mens curis futuri nescia iuris.

Est autem phylosophia perfecta cognitio hominis de se ipso. Summum igitur in vita solamen est studium sapientie, quam qui invenit felix est, et qui possidet beatus.

[Caput IX.]

De pietate.

Justa sapientiam pietatem non deseras sed illam exercendo benigne eam semper ante oculos habeas. Ait enim beatus Paulus in epistola secunda ad Timotheum, "Exerce te ipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vite, que nunc est, et future." Et nota quod culpe sunt causa pietatis causam pietatem inducunt. Nam ut Cassiodorus ait, "Nisi culparum occasione semerges, eciam locum pietas non haberet." Et nota quod pietas est causa benignitatis.

[Caput X.]

De benignitate.

Benignitas enim habet species septem: religionem, pietatem, reverentiam, misericordiam, amicitiam, concordiam. Benignitas est virtus ad benefaciendum disposita sua cunctis dulcedine. "Religio est virtus coram Deo, ceremoniamque afferens." Pietas est virtus "per quam sanguine iunctis et patrie benivolos officium et diligens tribuatur cultus." Innocentia est virtus "omnem iniurie illusionem abhorrens." De qua dictum est, "Suum semper lumen sequitur innocentia." "Reverentia est virtus gravibus personis vel aliqua prelatione sublimatis debite honorificationis cultum exhibens." Misericordia est virtus que "movet super calamitate afflictorum." "Amicitia est bona voluntas erga aliquem causa illius" qui diligitur, vel dic secundum Tullium, "Amicitia nichil aliud est nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benivolentia et caritate summa consensio." "Concordia est virtus cives et patriotas in eodem iure et cohabitatione spontanee vincens."

Cum pietate vero habeas in corde tuo benignitatem, et ita habebis omnisalias predictas virtutes que dicuntur species benignitatis. Disciplinamvero contra servos et degeneres exerceas, conpunctionem vero ergo spontepenitentes diligas.

### [Caput XI.]

#### De gulositate et ingluvie.

Tenperantiam vero et abstinentiam et parsimoniam contra gulositatem et ingluviem statuas. De qua gulositate Ihesus Syrac dixit, "Qui amat vinum et pinguis non ditabitur." Et alibi, "Pessima est paupertas que a gula procedit." Et alibi, "Operarius ebriosus non locupletabit; et qui spernit modica paulatim decidet." Et, "Qui diligit epulas in egestate erit." Et alibi, "Sanitas est corporis et anime sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, et iram, et ruinas multas facit." Inde et Cato dixit,

Hoc bibe, quod possis, si tu vis vivere sanus:  
Morbi namque mali causa est quecumque voluptas.

Et Apostolus dixit, "Nolite inebriari vino, in quo est luxuria." Sicutet de cibis idem Ihesus dixit, "Noli esse avidus in omni epulatione, et non effundas te super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas." Quare Seneca in epistolis dixit, "Bone valitudini contraria alimenta varia et nostris corporibus aliena." Unde ait, "Fames reddet malum panem bonum tenerum, et ideo non est ante edendum quam illa imperet." Et Seneca De Formula Honeste Vite dixit, "Ede citra crapulitatem. Bibe citraebrietatem. Victus tibi ex facilis sit, nec ad voluntatem, sed ad cibum accedat. Palatum tuum fames excitet, non sapores." "Hanc ergo sanam acsalubre vite tene formam, ut tantum corpori indulgeas quantum bone valetudinis satis est," ut idem in epistolis dixit. Et ita habebis censem salutis corporis, qui est super omnem censem. Nam ut ait Ihesus Syrac, "Non est census supercensus salutis corporis, nec est oblectatio supra cordis gaudium." Censum ergo salutis corporis habebis, vitamque tibi adicies si cum tenperantia et abstinentia vitaveris comessationes, crapulam, ebrietatem, nimias et maximas et frequentes atque delicatas comediones. Hec namque gravant stomachum, turbant sensum, opprimunt intellectum, ventrem commovent, guttas inducunt, per annum et os fetidum flatum et horribilem sonum emittunt, oculos lacrimosos faciunt, catarrum inducunt, narres et os et aures faciunt fectore, atque putredine habundare. Per hoc insuper peccatum acquiritur, luxuria ducitur, Deus offenditur. Hec deinceps substantias minuant, honores tollunt, animam simul cum corpore post multas infirmitates ad inferna perducunt. Merito igitur contra gulam et gulositatem et ingluviem ut eas vincas opponere debes tenperantiam cum suis speciebus, que sic diffinitur:

### [Caput XII.]

#### De tenperantia.

"Tenperantia est dominium rationis in libidinem et alias motus et importunos," et habet in se tenperantia species novem, videlicet: parsimoniam, modestiam, verecundiam, pudicitiam, moderantiam, abstinentiam, honestatem, parcitatem, sobrietatem. Parsimonia est scientia vitandi

sumptus et cultus supervacuos, aut ars res familiari moderate utendi. "Modestia est motum et cultum et omnem namque occupationem citra excessum et ultra defectum sistere." "Verecundia est," ut congrue dicetur, est

in gestu et verba honestatem servare. Pudititia est dominio rationis revocare. Abstinentia est statum tempus prandendi non pervenire. Honestas non laudiores cibos querere, nec in apparatu operam dare. Parcitas est mensuram refectionis non excedere. Sobrietas est excessum in potu cohibere.

Habeas itaque temperantiam et alias predictas virtutes, que dicuntur specie stenoperantie et gulositatem vinces ac superabis.

### [Caput XIII.]

#### De pacienza et impcientia.

Paciencia vero arma tua portet ita quod per pacientiam ea que mutar non possunt, tollerabiliter sustineas, et iacula verborum iniuriarum quae tollerabilem et miseriarum que vitari non possunt equo animo feras. Scriptum est enim, "Feras, non culpes, que mutari non possunt." Et alibi, "Qui enim commutari non potest metuitas vivere quieto animo nequid."

Ad pacientiam ergo in hiis quasi ad portum recurrere debes. Nam dixit Socrates, "Paciencia est portus miseriarum." Pacienza utroque occultashabet divitias;" "paciens enim et fortis se ipsum felicem facit," et "doloricuiusque remedium est pacienza," ut a sapientibus scriptum est enim. Etcerte plus dicitur valere pacienza omnibus alijs virtutibus; unde versus:

Nulla valet tantum virtus pacienza quantum.

Unde etiam dicitur, "Virtus vidua est, quam non pacienza firmat." Et Catodixit,

Maxima enim morum est semper pacienza virtus.

Et certe non bene doctus est qui bene pati non potest, Salomone dicente, "Doctrina viri per pacientiam eius cognoscitur, et gloria eius est iniquapretergredi." Et alibi, "Qui paciens est, multa gubernatur prudentia: quia tamen impaciens, exaltabit stultitiam suam." Et alibi, "Vir iracundus provocatrixas: qui paciens est, mittigat suscitatas." Et iterum, "Qui impaciens est, sustinebit dampnum, et cum rapuerit, alliud apponet."

Per impacienciam namque immisit se quis quandoque rei ad se non pertinenti, quod est culpa simul et stultitia; quare regula iuris dicit: "Culpa estimiscere rei ad se non pertinenti." Nam et Salomon in Proverbiis dixit, "Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit et impaciens commiscetur rixae alterius." Unde idem dixit, "Melior est paciens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnator est urbium." Licet aliis sapiens dixit, "Veterem paciendo iniuriam, invitas novam." Et aliis dixit, "Paciendo multavenient, que nequeas pati." Et diffinitur pacienza hic modo: "Paciencia virtus contumeliarum et omnis adversitatis inspectus equanimiter portans;" vel "Paciencia est remedium iniuriarum," ut in Moralium Dogmate continetur, vel brevius: Pacienza est equanimis tollerantia illatorum. Et nota quod pacienza est species fortitudinis.

### [Caput XIV.]

De fortitudine.

Que fortitudo habet in se species sex, videlicet: magnanimitatem, magnificientiam, securitatem, fidutiam, patientiam. Fortitudo est considerata periculorum susceptio et diurna laborum perpensio.

Magnanimitas est et difficilium rationabilis et spontanea aggressio. Manificentia est preclarorum consumatio. Securitas est incommodates imminentes vel rerum cohorte affines non formidare. Fidutia est certa spes animi perducendi ad finem rem coatam.

Patientiam supra descripta est. Constantia vero, ut et ibi dicetur, est stabilitas animi firma, et in bono proposito perseverans.

Habeas itaque simul cum patientia fortitudinem et omnes alias virtutes predictas que dicuntur species fortitudinis. Liberalitatem super tua dispensatione facias die noctuque opponas. Diffinitur autem liberalitas in Moralium Dogmate hoc modo:

[Caput XV.]

De liberalitate.

"Liberalitas est virtus animi benefactorum erogatrix, illam pro affectu benignitatem, pro effectu beneficium dicimus. Hec virtus tota in tribuendo consistit. Quam liberalitatem non habent avari qui semper volunt accipere et nichil dare." Unde reprehensus fuit Scevola per Martialem qui dixit,

Scevola tu cenas apud omnes, te prope nullus.

Alterius siccas pocula, nemo tuum.

Aut tu redde vices, aut desine velle vocari.

Dedecus est semper sumere nilque dare.

Indulgentiam vero et remissionem semper tecum portes. Simplicitatem sempertuam amicam voces eamque semper tecum habere procures. Nam et leges eam amicam suam vocaverunt, et eciam Dominus homines simplices esse iussit dicens, "Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbe."

[Caput XVI.]

De pace.

Pax autem atque concordia tua iura pertractent, ita quod nichil cum scandalo vel bello exigas, si commode hoc fieri potest. "Pacem itaque cum hominibus habeas, cum vitiis bellum," ut quidam sapiens dixit. Nam et Apostolus in epistola ad Timotheum dixit, "Non coronabitur nisi qui legitime

certaverit."Ut igitur coronam et pacem habeas, cum vitiis te certare oportet, et maximecum vitio impietatis. Impii enim pacem nullatenus habere possunt, Ysaiatestante qui ait, "Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, reddundant fluctus eius in conculationem et lutum. Non est pax, dixit Deus meus, impiis." Et si cum vitiis ita certaveris, legemque Dei dilexeris, pacem multam habebis, propheta testante qui ait, "Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum." Dei timorem rudibus preesse studeas, eosque Dei timorem instruas, fidem vero et speciem et caritatem in pectoretuo semper habeas. De quibus satis supra tibi scribere curavi.

### [Caput XVII.]

De constantia.

Contra levitatem et imbecilitatem animi constantiam viriliter opponas. De qua Tullius dixit, "Nichil est quod tam deceat, quam in omni re gerenda capiendoque consilio servare constantiam." Inde et Cato dixit,

Constans et lenis, ut res expostulat, esto:

Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.

Que quidem constantia in Moralia Dogmate ita diffinitur: "Constantia est stabilitas animi firma et in proposito perseverans."

### [Caput XVIII.]

De prudentia.

Prudentia denique actionem tuam contemplationemque tuam et omnia dicta factaque tua disponat et regat atque gubernet. Nam ut ait Cassiodorus, "Superavit cuncta infatigabilis et expedita prudentia." Que prudentia sic describitur: "Prudentia est rerum bonarum et malarum utrarumque discretio," cum electione boni et fuga mali. Que quidem prudentia ad beatam vitam satis est, secundum Senecam epistolarum dicentem,

Qui prudens est, temperans est et constans est; qui imperturbatus est sine tristitia est; qui sine tristitia est beatus est: ergo prudens beatus est, et prudentia ab beatam vitam satis est.

Si vis ergo cum prudentia beate vivere, esto prudens, constans, et temperans, et imperturbatus, sine tristitia.

Et nota quod prudentia habet sub se species sex, scilicet: rationem, intellectum, providentiam, circumspectionem, cautionem, docilitatem. Quid sit ratio, supra diffinitum est. Intellectus est speculatio veri.

Providentia est presens notio futurorum pertractans eventum. Circumspectio est contrariorum vitiorum cautela. Cautio est discernere a virtutibus vitijas speciem virtutum preferentia. Docilitas est virtus docendi imperitos.

Itaque si prudentiam habueris, eciam alias predictas virtutes que species prudentie dicuntur

tecum portabis. Et si vis prudentiam exercere, cum providentia in futura prospectum intende. Et que possunt contingere animo tuo cuncta dispone. Unde Cato dixit,

Prospice qui veniunt hos casus esse ferendos;

Nam levius ledit quicquid previdimus ante.

Et iterum,

Quod sequitur specta quodque minet ante, videto.

Et alius dixit, "Iacula previsa minus feriunt." "Nichil itaque tibi subitum sit, sed totum ante porpenses." Nam ut Seneca De Formula Honeste Vitedixit, "Qui providus est, non dicit ĀŽnon putavi hoc fieri; ĀŒ quia non dubitat, sed expectat; non suspicatur, sed cavet." Et alibi in epistolis dixit, "Nichil autem ordinatum est quod precipiatur et properat providentiam." "Itaque tua," secundum Senecam,

futura provideat, preterita recordetur, presentia ordinet. Nam quin nichil de preterito cogitat, perdit vitam; qui nichil de futuro premeditatur, in omnia incautus incidit. Omnia proponas autem in animo tuo et mala futura et bona, ut illa sustinere possis: ita moderari.

Cuiusque facti causam require, et cum initia inveneris exitus cogitabis.

### [Caput XIX.]

De initio.

Initium namque vehementer in inspiciendum est sicut per leges: "Uniuscuiusquerei potentissima pars est principium." Et uniuscuiusque contractus initium spectandum est. Ita et in omnibus alijs negotijs diligenter circumspiciendasunt. Nam ut Salustius ait, "Omnia mala exempla orta sunt ex bonis initiis." Et quia ut dixit Ihesus Syrac dixit, "In omnibus bonis duplicitia mala invenies," prudenter et cum deliberato consilio in initia pertractabis. "Prudentis enim proprium est consilia examinare, et non cito credulitate ad falsaprolabi."

Nam si in bonis initiis periculum est propter duplicitia mala, multo maius periculum in aliis tibi rebus male inceptis versatur. Nam ut in decretis legitur, "Vix bono peraguntur exitu que malo sunt inchoacta principio." Et sic eciam Pamphilus dixit,

Principium finemque simul prudentia spectat.

Rerum finis habet crimen et omne decus.

Verbi principium, finemque circumspice verbi,

Ut melius possis premeditata loqui.

Et Seneca in epistolis dixit, "Facilius est initia vitiorum prohibere quam inpetum regere." Et alibi, "Facilius est initia excludere quam admissa conprimere."

Nisi enim initia malorum conprimas, mala crescent et modum non servant. Quare idem Seneca dixit: "Nunquam pernitiosa servant modum: initia enim in potestate nostra sunt: de eventu fortuna iudicat." Et Martialis Cucus dixit,

Spina recens et parva tibi, Sejane, putanda,

Dum rudis et parva est culpa putanda tibi;

Firmat humi spinam robusta et plurima radix,

Mens assueta malo, firmus heret ei.

[Caput XX.]

De tristitia.

Circa prudentiam eciam illud nota quod si bene prudens fueris, tristiciamhuius seculi ab animo tuo penitus fugabis. Nam Salomon ait, "Sicut tineavestimento et vermis ligno, ita tristitia nocet hominis cordi." Et iterum, "Non contristabit iustum quicquid ei acciderit; impii autem replebuntur malo." Et Ihesus Sirac dixit, "Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa." Et alibi idem dixit, "Animus gaudens floridam vitamfacit, spiritus tristis exicat ossa." Et Seneca in epistolis dixit, "Nichilest stultius quam famam captare tristitie et lacrimas approbare;" "Nichil enim sapienti viro accidere potest, quod eum contristet: stat rectus subquolibet pondere." Et alibi idem dixit, "Nulla res citius ad odium venitquam dolor; recens dolor libenter ad se consolatorem inducit, inveteratusvero deridetur, nec inmerito: aut enim simulatus est aut stultus." Et Pamfiliusdixit,

Ut graviter doleat, non pertinet ad sapientem,  
Cum dolor ad dominum premia nulla ferant.  
Unde alibi idem dixit,  
Stulte cur insanis, quid te dolor urget inanis?  
Acquirit gemitus premia nulla tuus.  
Tenperet ergo tuum modus et prudentia fletum;  
Terge lacrimas tuas; prospice quid facias.

Et eciam supradictis Seneca dixit, "Non affligitur sapiens liberorum velamicorum amissionem: enim animo fert illorum mortem quo suam expectat." "Malo enim, ut relinquas dolorem quam ab illo relinquaris: et quam primum id facere desiste, quod, eciam si voles, diu facere non poteris." Undequidam sapiens nuntiata sibi filii morte inquit, "Cum enim genui moriturumscivi."

Si ergo moriantur amici tui, non eos plorabis. Nam ut idem ait, "Necsicci sint oculi amissio amico nec fluant: lacrimandum est, et non plorandum." Servias itaque amicis tuis in vita sua, et eos repara, si potes. Nam utidem ait, "Sanctius est amicum reparare quam flere." Et temperatus tamenfletus inter tristes non est prohibitus immo census, secundum beatum Paulumqui dixit in epistola prima ad Romanos, "Gaudete cum gaudentibus et fletecum flentibus," et cetera. Et eciam secundum Cassiodorum, "Piaculum quoddam est inter tristes velle gaudere." Et eciam Tullius De Amicitia dixit, "Proprium est animi bene constituti, et letari bonis rebus et dollere contrariis."

Ideo eciam repellere debes tristitiam huius seculi, quia ut beatus Paulus dixit in epistola secunda ad Corinthos, circa medium: "Seculi autem tristitiam mortem operatur. Que enim secundum Deum est tristitia, penitenciam in salutem stabilem operatur." Et ideo illam a te repellere non debes, sed potius illam die noctuque studeas habere, quia postea "convertitur in gaudium," ut Dominus in evangelio dixit. Unde Salomon ait, "Cor sapientum ubi tristitia, et cor stultorum ubi letitia." Et iterum, "Melius est ire ad domum luctusquam ad domum convivii."

Prudentia vero acquisita iustitiam tanquam tibi necessariam semper anteocculos habeas, illam diligendo et usque ad mortem pro illa pugnando. De qua satis tibi supra dixi in titulo De Amore et Dilectione Rerum Incorporalium.

[Caput XXI.]

De verecundia.

Verecundia insuper tua facta dictaque decoret. Ait enim Salomon, "Antegrandinem prebit corruscatio; et ante verecundiam prebit gracia." Spes enim est salutis. Hominem obiurgat pudor certe quem non flectit, non frangit timor. Nam ut ait sapiens, "Ubi cumque pudor, ibi et fides." Et qui timet verecundiam, timet contumeliam; raro accipit iniuriam. Nam et alibi dixit, "Sine verecundia nichil rectum esse potest, nichilque honestum." Quare Seneca in epistolis dixit, "Verecundia bonum est in adolescente signum."

"Pudor vero dimissus numquam reintegratur," ut idem ait. Que verecundia et sic diffinitur: "Verecundia est in gestu et in verbo honestatem servare." Non tamen debet esse nimia verecundia. Nam ut ait quidam philosophus, "Tecta ingenie debilitat verecundia, parva confirmat." Et nota quod si vitiispectus tuum purgaveris et illud predictis virtutibus aliisque undique armaveris, facillime poteris de activa vita ad contemplativam transire, et spiritu ambulando amorem presentis vite quos illaqueatos tenet contempnere.

[Caput XXII.]

De amore vite contempnendo.

Nam ut in Contemptu Mundi legitur,

Fallitur inscipiens vite presentis amore.  
Sed sapiens novit, quantum sit plena dolore.  
Quidquid formosum mundus gerit aut pretiosum,  
Floris habet morem, cui dat natura calorem.  
Mox ut siccatur, totus color annichilatur.  
Postea nec florem monstrant, nec spirat odorem.  
Regia maiestas, omnis terrena potestas,  
Prosperitas rerum, series longinqua dierum  
Transiet absque mora, cum mortis veniet hora.

Quicquid ergo facies referas ad mortem. Nam ut Seneca in epistolis dixit, "Nichil equum producerit tibi ad temperantiam omnium rerum quam frequens cogitatio brevis evi." Operare igitur pro futuro seculo quasi minime sismoriturus, et pro presenti quasi semper victurus. Ut quidam philosophus dixit, "Non ergo ponas spem in longa vita, ne male vivas." Nam ut ait Seneca, "Male vivit qui semper vivere putat." Et Cato dixit,

Tempora longa tibi noli promittere vite:  
Quocumque ingredieris, mors sequitur umbram.

Et aliud dixit, "Non vivit, cui nichil in mente est, nisi ut vivat." Et quidam philosophus dixit, "Omnis itaque dies velud ultimus ordinandus est."

Et si forte spem posueris in longa vita, recordare frequenter, quod Seneca dixit, "In longa vita pulvis et lutum et pluvia." Sic in longa vitamulta sunt incommoda. Et recordare eciam omnia mundana transitoria foreatque caduca. Dicitur enim in Mundi Contemptu,

Mundi quid sit honor cur nunc tibi scribere conor?  
Nosti quippe satis quia nil habet utilitatis.  
Predia terrarum, possessio divitiarum,  
Fabrica murorum, grandis structura domorum,  
Gratia mensarum cum delitiis epularum,  
Insignesque thori, cuppe siphique decori,  
Resplendens vestis, que moribus obstat honestis,  
Grex armentorum, spatios cultus agrorum,  
Fertile vinetum, diversa vite repletum,  
Gloria natorum, dilectio dulcis eorum,  
Cuncta relinquunt, nec post hoc invenientur.  
Quod breviter durat quis prudens querere curat?  
Non metuens hominem, faciet mors aspera finem  
Rebus mundanis, mendacibus et male sanis.  
In mentem eciam habeas quod dici consuevit, "Omnia transibunt: nos ibimus, ibitis, ibunt."  
"Omne quod est genitum, tendit ad interitum." Omnia pretereunt propter amare Deum.

Predictis itaque pensatis sapienterque cognitis, Salomon reputavit omniaque sub sole sunt vanitatem et afflictionem spiritus, et nichil sub sole manere, dicens:

Magnificavi opera mea, hedificavi mihi domos, plantavi vineas; feci ortos et pomeria, consevi ea cuncti generis arboribus; extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvas lignorum germinantium, possedi servos et ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, et magnos ovium greges, ultra omnes qui ante me fuerunt in Ierusalem; coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum et provintiarum; feci mihi cantores et cantatrices, et delicias filiorum hominum, sciphos, et urceos in ministerio ad vina fundenda; et supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt: sapientia quoque perseveravit mecum. Et omnia que desideraverunt oculi non negavieis, prohibui cor meum qui omni voluntate frueretur, et oblectaret se in hiis que paraveram; et hanc ratus sum partem meam si uterer labore meo. Cumque me convertissem ad universa opera que fecerunt manus mee, et ad labores in quibus frustra inundaveram, vidi in omnibus hiis vanitatem et afflictionem animi, et nichil manere sub sole.

Si ergo Salomon tam sapiens et qui ferre omnia bona quecumque excogitaripossunt habuit, et ea pro nichilo reputavit, nos alii miseri homines qui ferre nulla habuimus eaque ipsa cum labore acquirimus, cum timore retinemus, cum tormento amittimus, quare in hiis inheremus et pro illis Deum creatorem nostrum relinquimus, simulque vittam amittimus eternam?

[Caput XXIII.]

De conversione ad Dominum.

Non itaque tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem. Nam ut quidam philosophus dixit, "Si gravatus fueris aliquo modo et facile possis liberari, non expectes, quia dum expectabis liberari facilis, gravaberis amplius." Et eciam Ihesus filius Sirac dixit, "Nescit homo

finem suum; sed sicut pisces capiuntur amo, et sicut aves comprehenduntur laqueo, siccapiuntur homines in tempore." Nam ut Marcialis dixit,

Vivendi recte fatuus procrastinat horam,  
Castrina, cras semper dat mihi, numquam hodie.  
Castrina lux accepta tibi, dum crastina lux est,  
Dum venit, et nondum est; incipit esse, doles.  
Das causas, tunc cras alias promittis, et ecce  
Dum cras multiplicas, tempus et hora fugit.

Et licet in iudicando et in consiliis et in ira mora sit valde utilis, ut supra dictum est, in conversione tamen ad Dominum est mora multum periculosa et eciam quando mortifera. Et potest dici ut Ovidius epistolarum dixit,

Quecumque equor habet, quecumque pericula tellus,  
Tam longe cause suspicor esse more.

Nec credas aliquem in monasterio, vel in aliis religiosis locis tantummodoposse salvari vel Deo servire; non enim religio est tam in loco terreno quam in hominis corde. Nam cum Deus sit ubique, potest quilibet Deo servire. Quare Marcialis cuidam suo amico qui vocabatur Iovianus et qui causa serviendi Deo sepe mutabat loca dixit,

Cur adeo gaudes motu, Ioviane, locali  
Tam sepe sallis an levis es?  
Signat enim motum mentis mutatio tanta,  
Quod non concordes, nec tibi convenias.  
Pondus habe, stabis; sub pondere gleba quieta est,  
Diripitur pulvis pro levitate sua.  
Nec natura loci tibi recte iuvare donat,  
Sed mens discreta propositaque tenax.

Inde eciam Seneca epistolarum dixit, "Non convalescit planeta, que sepetransfertur." Et alibi, "Non multum ad tranquilitatem locus confert: animus est, qui sibi commendat omnia."

Queres enim sive tranquilitas sive quieto animo esse non potest. Unde idem dixit, "Nulla placida est quies, nisi quam ratio composuit." Nam "Interdumquies inquieta est;" nec est tranquillitas in ocio inconcusso iacere. Et alibi idem dixit, "Quid prodest mare traicere et urbes mutares et vitianon mutantur." Et eciam quidam alias philosophus dixit, "Bene vivere omnilocum potes, nisi te ipsum destituas." Non ergo destituere vel delinquere debes, sed animum et cor tuum et mentem tuam predictis virtutibus ornare, et non solum cor amandum est, sed eciam corpus tecum. Ait enim Apostolus in epistola ad Ephesios circa finem,

State succinti lumbos vestros in veritate, et induiti loricam iustitie, et calciate pedes in preparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentescutum fidei, in quo possitis omnia nequissimi tela extinguere: et galleamsalutis assumite: et gladium spiritus quod est verbum Dei.

Et non solum armis predictis est corpus amandum, sed eciam necessariis vestibus ornate induendum, et non negligendum, ne forte mens male composita videatur. Dixit enim Seneca, "Malus apparatus exterior male composite mentis nuntius est." Ornatus autem sive cultus corporis modum non excedat. Ait enim Ovidius epistolarum,

Sint procul a nobis iuvenes ut femina compti!  
Fine coli modico forma virilis amat.

Inde eciam quidam sapiens dixit, "Quid est nequius aut turpius effeminato viro?" Componas ergo primum mentem tuam et tecum consistas, non vacillando et stabilitatem servando. Ait enim Seneca in epistolis, "Primum argumentum composite mentis existimo posse consistere secumque

morari." Inde eciam Cato dixit,

Conveniet nulli, qui secum disidet ipse.

Postea vero cum bonis hominibus bene utaris, non solitarie vivendo, sed semper bonam societatem affectando. Nam ut idem Seneca dixit, "Non potest aliquid bonum esse nisi cum homine." Et alibi, "Nullius boni sine socioiocunda possessio est." Si enim bonum socium semper tecum habueris minus peccabis. Nam ut idem dixit, "Magna pars peccatorum tollitur, si peccatur iste assistat." Tu ergo cum peccare cupis, recordare quod Deus cum celesticuria te videt, tuique peccati testis et iudex est affuturus. Et eciam Ysopus dixit,

Sic adeo noli tibimet confidere soli;

Cuilibet ipse pari contempseris ut sociari.

Et Salomon dixit,

Melius est duo simul esse quam unum; habent enim emolumen tum societatis. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Ve soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem. Et si dormierint duo, fovebantur mutuo; unus quomodo calefiet? Et si quispiam prevaluerit contra unum, duo resistent ei; funiculus triplex difficile rumpitur.

Et Martialis quasi idem perversus dixit,

Emule, ve soli! quia dum cadit ipse, levantem

Non habet, in se ipso spem sibi conposuit.

Federa dum contempnit, dum spernit habere sodalem,

Perficit, ut sese nemo iuvare velit.

Cum socio socius partitur pondera furti,

Propria partitur vera fides socii.

Nescit amor vehemens, ad queque pericula rumpi,

Nec funis triplex rumpitur ex facili.

Forte quidem velles socium reperire fidelem,

Sed pravi mores zelus et ira negant.

[Caput XXIV.]

De vita activa et contemplativa.

Conversione ante ad Dominum a te facta, poteris de duabus viis unam eligere, videlicet activam vel contemplativam vitam, de quibus homines multa cogitando pluresque valde dubitant quam eligere velint. Sed Tullius de activa vita dixit, "Fructuosior autem hominum generi, et ad caritatem amplitudinemque aptior est vita eorum, qui se ad rem publicam et ad magnas res gerendas accommodaverunt. Et iterum de eadem Tullius dixit,

Magis est secundum naturam pro omnibus generibus, si fieri potest, conservandis aut iuvandis maximos labores molestiasque suscipere, quam vivere in solitudine non modo sine ullis molestiis, sed eciam maximis voluptatibus abundare, et omnibus copiis, ut excellas alios pulchritudine et iuribus. Quocirca optimo et splendidissimo quisque ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur hominem nature obedientem homini nocere non posse.

Nam et alibi scriptum est, "Nichil est tam naturale quam consortem nature iuvare."

De vita autem contemplativa, que otiosa sive tranquilla dicitur, idem Tullius dixit,

Multi autem et sunt et fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expertentes a negotiis publicis se removerunt, ad ociumque perfugierunt; in hiis et nobilissimi philosophi longique principes et quidam homines severi et graves nec populi nec principum mores ferre potuerunt,

vixerunt quoniam nulli in agris delectati re familiari sua, et eorum quidam contentisuo et parvo. Neutrorum contempnenda sententia est, sed facilior et tūtioraliis gravis aut molesta vita est otiosorum.

Unde Ihesus Sirac dixit, "Filij, ne in multis sint actus tui." "Nec ventileste in omnem ventum." Nec omnis aura moveat te. Et Dominus in evangelio dixit Marthe que in actu erat et satagebat circa frequens ministerium, "Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, que non auferretur ab ea." Quod video dixit, quia in contemplatione erat circa pedes Deum et audiebat verbum Ihesus. Et Apostolus dixit, "Nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis." Et ideo dixit quidam philosophus, "Qui vult mundum relinquere, videat ne aliquid teneat quod sit illius partium, quoniam tantundem valeret, ac si paleis ignem extingueret." Quare alius philosophus dixit, "Fide firmata militaveris, omnia tibi erunt prospera quocumque ieris." Et quidam alius dixit, "Vende hoc seculum pro futuro et utrumque lucrabis." "Seculum enim hoc quasi pons instabilis: cuius introitus est matris uterus, et eiusdem mors erit exitus," ut alius philosophus dixit. Et ideo ait, "Quis potest in hoc seculo cum mutabile sit aliquid stabile habere, vel quis potest in hac vita aliquid durabile cum sint omnia transitoria habere?"

Hec tibi, fili karissime, de amore et dilectione Dei et proximi et aliarum rerum et de forma vite breviter et summatim scribere curavi, non tamen ad plenum propter parvitatem mee scientie. Verum quia ut ait lex, "Quin non subtiliter factum tantum dat laudabilior est quam prius invenit." Tu invoco nomen omnipotentis nomine ex ingenio ab eo tibi prestito hoc opusculum mendabis et augere studebis, et cum dederit tibi gratiam vitam mutabis, et vitia et peccata ita vinces, atque fugabis, ut merito Vincentius valeas nuncupari. Viriliter ergo age confortetur cor tuum et sustine Dominum et ad regnum celorum satage pervenire. Ad quod ille nos conducat qui sine fine vivit et regnat. Amen.

Explicit liber de amore et dilectione Dei et proximi et aliarum rerum de forma vite, quem Albertanus causidicus Brixensis de hora Sancte Agathe compilavit ac scripsit, cum esset in carcere domini imperatoris Frederici in civitate Cremone. In quo positus fuit cum esset capitaneus Gavardi ad defendendum ipsum ad utilitatem communis Brixie, anno Domini millesimoducentesimo trigessimo octavo, de mense Augusto in die Sancti Alexandri, quo obsidebatur civitas Brixie per eundem imperatorem inductione. Rubrica.